SYNODVS DIOECESANA

A

IACOBO VIANOLO
EPISCOPO TVRCELLANO

CELEBRATA
Anno Domini, M. DC. LXXVI.



VENETIIS, M. DC. LXXVI
Typis Bartholomæi Tramontini. *Superiorum Permissu.*

IACOBVS VIANOLVS

Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Turcellanus Vniuerso Clero suæ Diœcesis Salutem, ac Paternam Benedictionem.



D Turcellensis Ecclesia regimen, nullis nostris meritis, sed sola Dei miseratione aduocati, illud vnum statim cordi profundius infiximus, quod cunctis Episcopis ab Apostolo scriptum, quolibet nobis momento repetitum audire videmur, Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: *Cui non minus terribili, quàm pio, ac salutari monito, ea, qua potuit, celeritate, sinceroque animi studio parentes, duo illa rectæ Pastoralis administrationis Luminaria, quibus errorum tenebræ discuti, & veritatis radij circumquaque intendi, ac propagari assolent*, Visitationem *nimirùm*, ac Synodum, *in Diœcesi nostra Torcellensi publicè accendere, perutilemque earumdem illustrationem nō intermissa diligentia fouere præcipuis in votis habuimus, ac destinauimus. Visitatio quidem, ad vitia, offensionesque tollendas, adaugendum Dei cultum, Ecclesiasticæque disciplinæ nitorem restaurandum non minus conferens, quàm Solis per vtrumque Hemisphærium ad fæcundandum solum, eiusque abigendam sterilitatem diurna, nocturnaque peragratio, sub ipsum Episcopalis oneris initium, Deo dante, perfecta ingentis Nobis lætitiæ, & consolationis parens fuit, cùm in ea omnia occurrerint, seù Cleri, Gregisque verè Christiani pietate, seù accurata Prædecessorum nostrorum vigilantia, ad spiritualis ædificij aliqua ex parte renouandam structuram facillimè accomodata, ac fœlicissimè disposita. Synodum etiam, qua Machabei fortissimi Ducis exemplo*, Ascendimus mundare Sancta, ac renouare, *tanta rerum omnium facilitate, animorumque cu-*

iuslibet ordinis consensione Septembri proximè lapso celebrauimus, vt in sinu gaudeamus, nihil penitus superesse Nobis, nisi pias Supremo Numini gratias rependere, cuius præsentissimo afflatu omnia tàm faustè contigerint, vberrimosque tota sibi Diœcesis Iustitiæ, ac Sanctitatis fructus polliceatur. Ne verò tantus pereat Episcopalis Visitationis, ac Diœcesanæ Synodi labor, neue vllus nostræ Iurisdictioni subiectus officij sui executioni ignorantiam prætendere valeat, omnia inibi Decreta, & Constitutiones editas, confirmatas, & promulgatas typis imprimi, cunctorumque, ad quos pertinet, subijci oculis, manibusque offerri mandauimus; vt videlicet quæ sola ad aures voce facilè memoriâ exciderent, oculari, ac non peritura prali recordatione continuò animis insiderent. Excipite ergo, Dilectissimi, perutili libro contenta, ea, quæ in Dei templo sancita audistis, animi propensione, ac reuerentia, vestræ, populique vniuersi salutis monita, eorum perfectæ obseruantiæ tota animi contentione insistite; quodque olim Prophetæ cælitus dictum scitis, Comede volumen istud, *vnicuique vestrum repetitum putate. Assidua enim primæ huius nostræ Synodi lectione, & seria meditatione Ecclesiasticæ vitæ præcepta in quotidianum animæ cibum, spiritusque alimentum vertentes, non in ea contentas lamentationes, & væ formidabitis, sed iucundissimis æternæ Vitæ carminibus perfruemini.*



LITTERÆ INDICTIONIS.

IACOBVS VIANOLVS

Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Turcellanus.



Astoralis regiminis, seù agendi, ac dirigendi sapientiam, æternum quoddam, diuinumque munus Animarum Curatoribus datum in sancta hac Torcellana Ecclesia fructu suo perquam maximo carere, ac frau, dari minimè decet. Cùm enim humanarum actuum regulam, ac mensuram constituat, errantes, ac deuios in semitam iustitiæ reducat, & Canonicarum Sanctionum vinculis effrænes, ac reluctantes coerceat, in demandati Gregis perniciem, ingens conscientiæ nostræ grauamen, & (quod omnium maximè deplorabile est) in Dei gloriæ decrementum profectò cederet, nisi toto animi nostri conatu, non intermissis laboribus, ac ipsa vitæ, sanguinisque profusione tanto bono inuigilaremus. Ne itaque post peragratam, Diuino fauente Numine, Episcopali visitatione totam Turcellanam Diœcesim, Nobis, licèt immeritis diuinitùs commissam, quæ ad castigandos mores, Ecclesiasticam disciplinam reformandam, augendumque Dei cultum pernecessaria visa sunt, & suis quæque decretis obseruanda mandauimus, temporis cuncta proterentis decursu in desuetudinem, vel obliuionem abeant, Diœcesana Synodo per antiquos Canones, ac Sacrosanctum Tridentinum Concilium cunctis Episcopis seriò præcepta, & cuius celebrationum maturioris discussionis, & experientiæ gratia hucusque distulimus, inuiolabilem eis firmitatem, ac obseruantiæ perpetuæ robur addere, Diuino Spiritu afflante, statuimus, decernimus, ac declaramus.

Quamobrem his nostris litteris Synodalem congressum indicentes, promulgantes, & conuocantes incipiendum, prosequendum, & concludendum Muriani

riani in Ecclesia Matrice S. Mariæ, & S. Donati diebus vigesima secunda, vigesima tertia, & vigesima quarta Septembris labentis anni millesimi sexcentesimi septuagesimi sexti, mandamus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis Sacrorum Canonum iure sancitis, alijsque arbitrio nostro infligendis dilectis in Domino Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & aliarum Plebanis, & Titulatis, & præterea omnibus, & singulis in hac Diœcesi, Abbatias, Prioratus, & Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura animarum obtinentibus, qualiacumque sint, nec non Confessoribus Monialium, tam proprio, quàm Abbatissarum, & Priorissarum nomine, Capellanis, Mansionarijs, cæterisque Presbyteris, & Clericis Sacris Ordinibus initiatis, seù in minoribus constitutis, qui in habitu & Tonsura incedentes, alicuius Ecclesiæ seruitio adscripti sunt & quibuscumque, qui de iure, vel consuetudine Diœcesis huius Synodo interesse debent, seù quos præsens negotium afficit, seù quomodolibet in futurum potest afficere, vt statutis diebus prædictis de mane hora Tertiarum, cessante legitimo impedimento, quod nobis probauerint, cum veste talari, ac decenti clericali Tonsura, superpelliceo, & alijs vestibus pro Ecclesiastici beneficii ratione ad Synodale Sessiones in præfatam Ecclesiam personaliter conueniant, & grauitate morum, Sanctoque pietatis zelo Ecclesiasticam præseferant disciplinam. In quorum omnium, & singulorum fidem præsentes manu nostra signatas, & sigillo munitas fieri iussimus, & per Cancellarium nostrum subscribi mandauimus, ac valuis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, ac eiusdem Matricis S. Mariæ, & S. Donati, nec non Sancti Martini de Boreano, vt in omnium notitiam veniant, affigi. Volumus autem, vt ità affixa perindè omnes, & singulos interesse habentes afficiant, ac si personaliter vnicuique intimata fuissent.

Dat. Mariani ex Palatio nostræ Residentiæ die 16. Iulij 1676.

Iacobus Episcopus Turcellanus.

Io: Petrus Dauid Venetiarum Not.
V. Canc. Episcopalis Turcellan. M.

DE-

DECRETVM DE INCHOANDA SYNODO.

NOs Iacobus Vianolus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Epiſcopus Turcellanus, ad laudem, & gloriam Dei Omnipotentis, Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, S. Heliodori noſtræ Diœceſis Patroni, & S. Donati huius Eccleſiæ Titularis, primam hanc noſtram Diœceſanam Synodum, ad Diuini cultus augmentum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem in Spiritu Sancto legitimè congregatam, eodem Auſpice incipere, & inceptam eſſe decernimus, ſtatuimus, ac declaramus. Benedicat eam Dominus de excelſo ſolio ſanctæ Sedis ſuæ, omneſque Synodales actiones auxilio ſuo ita dirigat, vt ab ipſo ſemper inchoent, & in ipſum tandem finiantur.

DECRETVM DE MODO VIVENDI, & alijs peragendis in Synodo.

TOto Synodi tempore vniuerſus Clerus probitate vitæ, & bonorum operum exemplo præfulgeat; vt ad ipſius normam ſe ſe quoque componat Populus, ac diuina per nos ſtatuenda religioſiùs veneretur.

Hora igitur tertiarum in Eccleſia S. Donati omnes, ad quos pertinet, congregabuntur, clericalibus indumentis, hoc eſt, veſte talari, candido ſuperpelliceo, & biretto quadrato, capillis, & facie itá compoſitis, vt Eccleſiaſticam grauitatem, non vanitatem, redoleant.

Externum corporis cultum interiora animæ ornamenta pulchriùs illuſtrent. Quàmobrem Sacerdotes ad celebrandam ſacroſanctam Miſſam diſpoſiti; ij verò, qui Sacerdotes non ſunt, facta peccatorum confeſſione, conueniant ad Synodum parati, vt ſacratiſſima Euchariſtia reficiantur, & nobis in re tam graui diuinam opem implorent.

Silentes, oculiſque ab omni curioſitate diuulſis, ſuis quiſque locis ſedebunt; ex quibus ſine graui cauſa, noſtrique Vicarij Generalis permiſſu recedere fas erit nemini, quo nimirum attentius

tiùs proponendis, ac sanciendis in Synodo vacent.

DECRETVM DE MINISTRIS *Synodalibus*.

QVoniàm verò absque multorum opera ritè, ac rectè Synodus procedere nequit, Promotorem eiusdem eligimus, & electum declaramus Perillustrem, & Excellentissimum Iuris vtriusque Doctorem Dominum Aloysium de Tridis Curiæ nostræ Episcopalis Fiscalem. Secretarium, cuius erit decreta omnia in publica acta referre, Clarissimum Dominum Io: Petrum Dauid eiusdem nostræ Episcopalis Curiæ Procancellarium. Prosecretarium, qui decreta, & alia omnia in Synodo acta publicè perlegat (exceptis tamen Sacri Concilij Tridentini decretis, & Constitutionibus Apostolicis, qui ad Romani Pontificalis præscriptum ab Admodum Reuerendo Archidiacono recitabuntur) Reuerendum Dominum Hieronymum Tosum. Magistrum demùm Ceremoniarum deputamus Reuerendum Dominum Vincentium de Iulianis Titulatum S. Donati Muriani, & Rectorem Sancti Saluatoris:

DECRETVM DE QVERELIS, *& excusationibus excipiendis*.

QVerelas, & excusationes ad Synodum delaturi Vicarium nostrum Generalem adeant; ne videlicet priuatæ res grauiora Synodi negotia impediant, vel remorentur.

DECRETVM DE DEFERENDIS *Nominibus eorum, qui Synodo interesse debent*.

TVrcellis, Boreani, vel alibi commorantium, Synodoque adfuturorum nomina in acta nostri Cancellarij deferet Admodum Reuerendus Archipresbyter nostræ Cathedralis.

DECRETVM, QVOD NVLLI PRAEIVDICETVR in praecedendo in praesenti Synodo.

IN sedendo, stando, incedendo, aut quidpiam aliud peragendo in præsenti Synodo decernimus á nemine ius aliquod acquiri circá præcedentiam; neque alicui præiudicium aduenire, sed volumus cuiuscumque iura salua semper consistere.

DECRETVM DE PVBLICA Oratione.

AD implorandam in re tanti momenti cælestem opem quotidianis precibus omnes vacabunt, præsertim verò Sacerdotes, qui in Missa collectas addent de Spiritu Sancto, & pro remissione peccatorum, quò in sanctiores, ac puriores animas diuina gratia illabatur.

DECRETVM DE NON DISCEDENDO.

NEmini tandem liceat sine nostri Vicarij Generalis licentia ab Ecclesia discedere, quamdiù Synodales actiones habebuntur, sub pæna excommunicationis, alijsque arbitrio nostro imponendis.

INSTRVMENTVM PVBLICVM De Actis per triduum in Synodo Turcellana diebus 22. 23. 24. Septembris 1676.

IN Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Indictione decima quarta, die verò Iouis vigesima qnarta Mensis Septembris. Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini Innocentij Diuina Prouidentia Papæ Vndecimi Anno Primo.

Præsenti publico Instrumento cunctis vbique pateat euidenter, & sit notum, quòd cum Illustrissimus, & Reuerendissimus in

Christo Pater, & Dominus Dominus Iacobus Vianolus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Turcellanus, eius primæ Synodi Diœcesanæ celebrationem indixisset prout ex litteris Indictionis publicatis, & affixis de more Valuis Cathedralis Ecclesiæ Turcellanæ, & S. Donati de Muriano, nec non S. Martini de Buriano, prima die sessionali, quæ fuit 22. Mensis Septembris suprascripti de mane hora tertia rum ipse Illustriss. & Reuerendiss. Episcopus Cappa, & Pontificali indutus vnà cum Capitulo, & Clero Turcellano ad Parochialem, & Collegiatam S. Donati de Muriano accessit, ibique solemniter, ac Pontificaliter Missam de Spiritu Sancto celebrauit, dictisque Orationibus, & precibus vnà cum Litanijs iuxtà Pontificale Romanum, omnes de Clero ad locum suum superpelliceis albis induti se receperunt; & successiuè per R. P. D. Io: Dominicum Petricellium Congregationis de Somasca habita fuit Oratio, ipsaque finita ex commissione ipsius Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi fuerunt promulgata Decreta. De inchoanda Synodo. De modo viuendi, & alijs peragendis in Synodo. De Ministris Synodalibus. De querelis, & excusationibus recipiendis. De deferendis nominibus eorum, qui Synodo interesse tenentur. De præiudicio in præcedendo in præsenti Synodo non afferendo. De publica Oratione. Et de non discedendo. Quibus peractis Excellens D. Aloysius de Tridis I. V. D. & Synodi Promotor institit, vt omnes, qui Synodo Diæcesanæ interesse de Iure, & consuetudine debent, publicè vocentur, emanatoque ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo Decreto, Ego Notarius infrascripus omnes vocaui iuxtá notulam ab Admodum R. D. Marco Antonio Vernerio Archipresbytero Cathedralis Turcellanæ mihi exhibitam, quibus vocatis dictus Excellens Promotor fecit aliam instantiam, De decretis publicandis S. C. T. decretoque facto per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Episcopum iuxtá petita lecta fuerunt per Admodum R. D. Laurentium de Rubeis Archidiaconum Turcellanum ex Concilio Tridentino de Residentia cap. 2. de refor. ses. 6. quod incipit. Episcopis inferiores. cap. primum de refor. sess. 23. quod incipit. Cum præcepto Diuino. Et cap. 12. de refor. sess. 24. quod incipit. Cum Dignitates. Et successiuè dictus Excellens D. Promotor fecit instantiam de professione Fidei emittenda iuxtá Decretum Concilij

cilij Tridentini in cap. 2. de refor. sess. 25. quod fuit ab eodem Admodum R.D. Archidiacono de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi lectum vsque ad Paragraphum. Ad hæc omnes ij : ab omnibusque præsentibus professio ipsa emissa fuit iuxtá formam Constitutionis Pij Quarti med o Iuramento præstito tactis Sacris Euangelijs. Deinde à dicto Excellente D. Promotore fuit institum pro electione Examinatorum Synodalium iuxta Concilium, ob idque legi cap. 18. C.T. de refor. sess. 24. quod fuit ab Admodum R. D. Archidiacono lectum, & successiuè nominati fuerunt ih Examinatores Synodales illi, de quibus in Constitutionibus Synodalibus, & à me Notario publicati fuerunt, Synodusque interpellata, an velit eos approbare, & admittere, omnesque per verbum, Placet, approbauit, & admisit, à præsentibusque in manibus Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi Iuramentum præstitum fuit de fideliter munere exequendo quacumque humana postposita affectione, ab absentibus verò mandatum fuit Iuramentum recipi per Reuerendissimum D. Morandum Morandi I. V. D. Dominationis suæ Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Vicarium Generalem. Insuper dictus Excellens D. Promotor instetit prò executione S. T. C. in Capite X. de refor. sess. 25. eligi Iudices Synodales, lectoque ab Admodum R. D. Archidiacono Cap. prędicto fuerunt nominati, publicati, & à Synodo admissi Iudices Synodales illi, qui in constitutionibus Synodalibus sunt descripti; Postmodum à dicto Excellente D. Promotore fuit institum pro solutione Cathedratici, seù Synodatici, & pro Indictione Synodi pro sequenti die, decretoque emanato ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo iuxtà instita fuit indicta secunda Synodi sessio prò die 23. mensis præsentis de manè hora tertiarum. Denique dictus Excellens D. Promotor instantiam fecit contrà absentes, quorum contumaciam accusauit, Decretumque obtinuit iuxtá per se petita, & ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo Synodo benedicta omnes discesserunt.

Prædictà verò Die 23. mensis Septembris Synodo Congregata in eadem Ecclesiâ hora indictâ, Missaque ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo solemniter celebrata, dictisque Orationibus, ac Hymno Veni Creator Spiritus iuxta Pontificale Romanum,

ac elegantè sermone perhabito ab Admodum R. D. Ioanne Caualli I. V. D. commissione prælibati Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi fuit vocatus Clerus, & deindè sic instante, & petente Excellente D. Promotore Synodi prædicto per R. D. Hieronymũ Tosum de suggesto lectæ Cõstitutiones Synodales, videlicet à cap. primo de professione Fidei vsque ad cap. 13. de Officio Parochi, seù Plebani inclusiuè; quibus perlectis fuit ab eodem D. Promotore petitum, Tertiam sessionem Synodalem fore die crastina vigesima quarta præsentis mensis hora consueta Tertiarum, obtentoque Decreto, dictus Excellens Dominus Promotor fecit instantiam contrà absentes eorum contumaciam accusando, decretumque iuxtà petita obtinuit, & benedictione ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo habita omnes in Domino abierunt.

Hodierna autem die Iouis 24. Mensis Septembris supradicti congregata Synodo in præfata S. Donati Ecclesia de manè hora Tertiarum post solemnis Missæ celebrationem per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Antistitem factam, recitationem Orationum præscriptarum à Pontificali Romano, ac Cleri vocationem, supràscriptus D. Promotor institit, si aliæ Constitutiones pro cumulatiori Cleri Disciplina edendæ, & publicandæ sunt, illas edi, & publicari mandari, decretoque emanato idem R. D. Hieronymus Tosus reliquas Constitutiones perlegit nempè á cap. 14. de Sacramentis in genere inclusiuè vsquè in finem. Quibus omnibus perlectis idem Excellens Promotor institit, quod licet in Synodalibus Diæcesanis Constitutionibus faciendis non sit requirendus assensus, & approbatio Cleri, sed tantum consensus Capituli, quem etiam de necessitate sequi Episcopus non tenetur, prout Sacra declarauit Congregatio; attamen ex abbundanti, & ad omnem meliorem finem, & effectum, & non aliás, alitèr, aut alio modo, & sine præiudicio Iuris Episcopalis, Synodum interpellari super confirmatione Decretorum, & Constitutionum in Synodi Sessionibus à prædicto Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo præscriptarum, publicatarum, & lectarum, Decretoque iuxtá petita lato, fuit per me Notarium interpellata Synodus sequentibus verbis. Placet nè vobis Constitutiones, & Decreta in Synodi sessionibus ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Episcopo

ſcopo præſcrita, publicata, & lecta, ad laudem Sanctiſsimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad veram Doctrinæ Christianæ instructionem, & ad bene viuendi diſciplinam retinendam, approbare, & confirmare? Omnesque vnanimitèr, & nemine penitus, atque penitus diſcrepante alta voce reſponderunt. Placet. Et ſucceſsiuè mihi Notario conſignato libro Constitutionum vt ſuprà perlectarum, & à prædicto D. Promotore rogatus fui, vt de prædictis ſic perlectis, & promulgatis, ac de omnibus vt ſuprà geſtis vnum, & plura conficerem Instrumentum, ſeù Instrumenta. Deindè omnes de Clero genibus flexis obedientiam, & reuerentiam Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. Epiſcopo exhibuerunt, & denuò idem D. Promotor accuſauit contumaciam abſentium inſtando prout obtinuit illos ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. Epiſcopo condemnari; Synodoque benedictio impartita fuit, Admodumque R. D. Archidiaconus ad Clerum reuerſus dixit Recedamus in pace, & omnes reſponderunt in Nomine Domini, & receſſerunt. Super quibus omnibus, & ſingulis idem Excellens D. Promotor me infraſcriptum Notarium rogauit, vt vnum, ſeù plura conficerem Instrumentum, vel Instrumenta.

Acta fuerunt præmiſſa in Parochiali, & Collegiata Eccleſia S. Donati de Muriano; Præſentibus Admodum R.R. D.D. Sancto Sanctinelli, & Io: Maria Forlani Familiaribus ſupraſcripti Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. Epiſcopi teſtibus &c.

Ego Io: Petrus Dauid publicus Venetiarum Notarius, & Curiæ Epiſcopalis Turcellanæ V. Cancellarius rogatus hoc præſens publicum confeci Instrumentum.



EXA-

EXAMINATORES ELECTI, ET APPROBATI in præsenti Synodo.

Reuerendissimus Dominus Morandus Morandi I. V. D. Canonicus Ducalis S. Marci Venetiarum, & Vicarius Generalis Episcopalis Turcellanus.

Reuerendissimus Dominus Franciscus Iuliani Canonicus Ducalis Sancti Marci Venetiarum, Prothonotarius Apostolicus, ac Vicarius Ducalis.

Reuerendissimus Dominus Ioannes Franciscus Montanatius I. V. D. Prothonotarius Apostolicus, Vicarius perpetuus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi Venetiarum, & Vicarius Generalis Patriarchalis Venetiarum.

Admodum Reuerendus Dominus Marcus Antonius Vernerius Archipresbyter Cathedralis Turcellanæ.

Admodum Reuerendus Dominus Ioannes Palatius I. V. D. Plebanus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Matris Domini Venetiarum.

Admodum Reuerendus Dominus Aloysius Baratti S. T. D. Plebanus Parochialis, Collegiatæ, & Matricis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Iubenicorum Venetiarum.

Admodum Reuerendus Dominus Franciscus Sperantia I.V.D. Plebanus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ Venetiarum.

Admodum Reuerendus Dominus Ioannes Antonius Zampelli I.V. D. Plebanus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Pantaleonis Venetiarum.

Admodum Reuerendus Dominus Ioannes Baptista Gottinus I. V. D. Canonicus Turcellanus.

Admodum Reuerēdus Dominus Vincentius Iuliani primus Titulatus Parochialis, Collegiatæ, & Matricis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Donati de Muriano, & Sancti Saluatoris Rector.

Admodum Reuerendus Dominus Antonius Bocchina I. V. D. Prothonotarius Apostolicus.

Admodum Reuerendus Dominus Ioannes Franciscus Flangini. I.V.D.

I. V. D.

Admodum Reuerendus Dominus Ioannes Caualli. I. V. D.

Admodum Reuerendus Dominus Paulus Abriani I. V. D.

IVDICES ELECTI, ET APPROBATI in præsenti Synodo.

Reuerendissimus Dominus Morandus Morandi I. V. D. Canonicus Ducalis S. Marci Venetiarum, & Vicarius Generalis Episcopalis Turcellanus.

Reuerendissimus Dominus Franciscus Iuliani I. V. D. Canonicus Ducalis Sancti Marci, Prothonotarius Apostolicus, ac Vicarius Ducalis.

Reuerendissimus Dominus Ioannes Franciscus Mõtanarius I. V. D. Prothonotarius Apostolicus, Vicarius perpetuus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi Venetiarum, ac Vicarius Generalis Patriarchalis Venetiarum.

Reuerendissimus Dominus Iacobus Zoppelli S. T. D. Archidiaconus Patriarchalis Ecclesiæ Venetiarum.



IN NOMINE
SS. TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS
SANCTI.

NOS IACOBVS VIANOLVS,
Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia
Episcopus Turcellanus.

DEcreta, Diuino aspirante Numine, in prima hac nostra Diæcesana Synodo efformata, eodem adiuuante, sequentibus capitibus confirmamus, & promulgamus.

DE FIDEI PROFESSIONE. Cap. I.

CVm sine Fide impossibile sit placere Deo, omnesque ex D. Athanasio in Symbolo, teneantur eam firmiter tueri, ac fideliter profiteri; Apostolicarum Congregationum, & Sacri Tridentini Concilij exemplo, omnibus hìc legitimè congregatis Fidei professionem, ipso statim huius Sessionis initio, faciendam decernimus, iuxtà Bullam Pij Papæ Quarti; quod & in alijs Synodis successiuè celebrandis omninò seruabitur.

Quicumque igitur aliquo Dignitatis, seù Canonicatus gradu in Ecclesia nostra Cathedrali decorantur, & alij omnes, quibus cura animarum ex beneficio incumbit, infrà duos menses à die adeptæ possessionis in manibus nostris, vel nobis impeditis, in manu Vicarij Nostri Generalis professionem Fidei emittere teneantur. Id, quod Canonici, & Dignitates Cathedralis prædictæ in suo etiã Capitulo intra eiusdem temporis spatium præstabunt, alioquin fructus non facient suos, nec illis possessio aliqua suffragabitur.

Insuper quiuis sæcularis sacerdos, qui confessiones Christi Fidelium audiendi, vel prædicandi in Diœcesi nostra facultatem obtinuerit, eamdem fidei professionem emittat. Id circò in Cancellaria nostra Liber specialis seruetur, in quo omnium nomina, qui Fidei professionem emiserint, describantur.

DE HAERETICIS Cap. II.

QVoniam Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ea semper Religio, & Sanctissima mens fuit, vt Catholicæ Fidei hostes exterminentur; Nos ideò Parochis omnibus, & animarum Rectoribus districtè præcipimus, vt si qui in eorum Parochijs reperiātur Hæretici, vel alij quomodolibet de Hæresi suspecti, nos illicò moneant, ne diutiùs cùm cæteris Fidelibus conuiuere permittantur.

Iubemus etiam, vt si maleficos, sortilegos, & qui facturis (vt dicunt) proximum lædere, vel superstitiosis caracteribus sanitatem restituere moliuntur; ariolantes item, & statis horis, diebus, verborum, ac precum numeris vim suprà naturam superstitiosè conferentes in nostra Diœcesi obseruauerint, ipsos statim denuncient; & Populum moneant, vt si tales nouerit, ipse etiam deferat sub pena peccati mortalis; sicut etiam prædictos de Fide Catholica non rectè sentientes, quotiès tacitam, vel expressam cùm Dæmone pactionem iniuerint, á nobis tantùm absolui posse.

Nemo Libros á Sancta Matre Ecclesia damnatos legere, aut apud se retinere audeat, sed leges Indicis per Patres Tridentini Concilij conditæ omninò quoad hoc obseruentur.

DE BLASPHEMIA. Cap. III.

ATrocissimum Blasphemiæ scelus præsenti constitutione damnantes, statuimus, vt si quis Clericus, aut alius Ecclesiasticus expresè, & publicè blasphemauerit, incidat ipso facto in suspensionem á diuinis, & carcere, exilio, alijsque pænis arbitrarijs, etiam priuationis beneficiorum, iuxtá formam Sacrorum Canonum, mulctetur. Quod si Laicus fuerit hu-

iusmodi sceleris Reus, Excellentissimum sæcularem Magistratum enixissimè deprecabimur, vt in eum omni rigore animaduertat; vt cui non satis est spiritualis medela, temporali saltem pęna ad debitam frugem reducatur.

Seriò etiam Patresfamilias inuigilent, ne suis in domibus lues adeò iniqua peruagetur, & ne ipsi filijs, & filij seruis, aut è contrà tam perniciosi vitij pessimum præbeant exemplum; timeantque Iustissima Dei Iudicia, qui domos blasphemantium, vt alij resipiscant, nonnunquam funditus destruit.

Sciant autem omnes Christi fideles si intrà triduum apud Iudicem blasphemos denunciauerint, aut si possint citrà periculum, correxerint, præter vberrimam á Deo mercedem, decem etiam annorum Indulgentiam à Leone Decimo in Concilio Lateranensi concessam se esse consecuturos.

Quod si Confessarij pænitentem aliquem tanto crimini frequentèr deditum nouerint, omninò ei denegent absolutionem, donèc á nobis specialem eos absoluendi facultatem obtinuerint, neque id nisi cùm grauissimæ pænæ impositione præstabunt.

DE SANCTORVM RELIQVIIS. Cap. IV.

CVm in nostris Ecclesijs multæ reperiantur Sanctorum Reliquiæ, ceù vasa Spiritus Sancti, quibus Deus edendorum miraculorum facultatem nonunquam infundit, præsenti nostro Decreto omnibus Ecclesiarum Sacristis districtè præcipimus, vt eas in nobiliori Ecclesiæ parte Thecis, seù Capsulis, non vitreis, sed nobilioris materiæ, & si fieri possit, argenteis distincto ordine asseruent. Chrystallum ad frontem vasis apponant, vtá populo cerni valeant, & prænotetur titulus eorum martyrij, vel gloriæ; demùm intrá bene clausi armarij cancellos custodiantur.

Quod si fragmenta tantumodo Reliquiarum in Ecclesia fuerint de ijsque certa notitia habeatur, serico panno inuoluantur, suis cùm inscriptionibus, & honorificè seruentur.

In publicè exponendis Reliquijs caueant Rectores, & Sacristæ, ne Simoniæ labe se se inficiant, quæstum, aliudue emolumentum respicientes. Quarè prohibemus omninò capsulas ad eleemosy-

nas

nas pro ostensione Reliquiarum excipiendas expositas, vt pateat non nisi ad spirituale lucrum, & Christiani populi solatium spiritualem thesaurum exhiberi.

Quoties Sanctissimum Christi Corpus publica supplicatione circumfertur, nunquam deferantur Sanctorum Reliquiæ, & quoties eas exponi contigerit, non nisi á Sacerdote, vel Clerico superpelliceo induto, & non sine duabus saltem candelis accensis id præstetur.

Nemini liceat Sanctorum Reliquias exponere, & miracula ab his edita promulgare nisi fuerint legitimè recognita. Quod idem in Sanctorum miraculosis Imaginibus omninò obseruetur. Reliquias autem adulterinas pro veris substituendi, & falsa eorum miracula prædicandi intolerabile scelus omninò damnamus.

Cæterùm quælibet Ecclesia nostra suarum habeat Reliquiarum Indicem, qui non solum nomen, sed & numerum, & magnitudinem earum distinctè edoceat, vt si surreptæ, vel diminutæ fuerint, facilè appareat. Easdem autem diuidere, & fragmentum vel minimum sinè nostra speciali licentia, in scripto obtinenda, alicui donare, & (quod turpiùs, ac detestabiliùs esset) easdem vendere nemini vnquam fas sit. Ad quæ omnia vitanda Reliquiæ in nostra Diæcesi duabus clauibus custodiantur, quarum altera sit penes Parochum, altera á Procuratore Ecclesiastico teneatur.

DE SACRA SCRIPTVRA, *& eius interpretatione. Cap. V.*

VErbi Diuini, seu sacrarum Scripturarum intelligentiam nemo sibi absque interpretatione, & vnanimi Sanctorum Patrum consensu vendicare audeat. Nemo etiam res fidei, & morum pro arbitrio suo in alios sensus contorqueat, vel contra Sanctæ Matris Ecclesiæ doctrinam explanare præsumat sub pænis à sacris Canonibus inflictis, etiam si talis explanatio nunquam euulganda foret. Quod si quis ad profana, scurrilia, & fabulosa verba diuinæ scripturæ conuerterit, & (quod lacrymabiliùs est) ad impias superstitiones, incantationes, sortes, diuinationes, & libellos famosos vsurpauerit, præter diuini Iudicii vl-

tionem, & etiam Iuris, & Arbitrij nostri pœnas præsenti constitutione interminamus.

DE LECTIONE SACRAE SCRIPTVRAE. Cap. VI.

EXimii fructus, & emolumenti est sacram Scripturam per Viros idoneos vniuerso Clero frequētiùs explicari. Idcircò nos, iuxtá Tridentini Concilij Decretum Præbendā Theologalem in Cathedrali Ecclesia erigere summoperè optaremus. Verùm quiá ex vna parte grauissima Episcopatus onera minimè patiuntur á Nobis tam proficuum opus institui, quod neque à Prædecessoribus nostris præstari potuit; & ex alia parte curandum nobis sedulò est, ne Fideles nostræ Iurisdictioni subiecti, tam salutari Verbi Dei interpretationis alimento defraudentur, Reuerendorum Patrum Regularium nostræ Diæcesis operam gratissimam nobis semper futuram declaramus, si in proprijs Conuentibus iuxtà Tridentini Concilij præceptum prædictam lectionem habuerint.

DE CONCIONIBVS. Cap. VII.

NVllus Sacerdos, siuè Sæcularis, siuè Regularis in Ecclesijs nostræ Diæcesis, quæcumque illę fuerint, concionabitur, nisi præuio examine á nobis admissus licentiam in scriptis obtinuerit, ad cuius impetrationem Regulari vlterius necesse erit exhibere iuratas Superiorum suorum litteras super doctrinæ sufficientia, morum integritate, & residentia intra Claustra.

Meminerint autem Concionatores vniuersi meliùs, & facundiùs loqui vitam, quám linguam. Quarè sub Concionum initium abstergant omnes animi sordes, & sese gratia diuina inflamment, vt in Auditoribus faciliùs pietatem, ac Religionem accendant.

Verborum flosculos inter concionandum minimè quærant; abstineant à recitatione Historiarum Apocrypharum; exempla minùs honesta, & quæ scandalo esse possint, non referant, opiniones hæreticorum non exaggerent, sed quam breuissimè innuant, & confutent, sub pænis à Concilio Lateranensi huiusmodi legis transgressioni impositis. Sententias, Similitudines, Historias ex Scri-

Scriptura Sacra desumant; prædicent Cælum, & Infernum in simplicitate sermonis, & in vitia, in quæ procliuior est populus, acriùs inuehantur. Obseruantiam Filiorum in Parentes, Charitatem Parentum in Filios, ac debitum eos custodiendi; mutua inter coniugatos officia summoperè commendent. Domini Christianè seruos tractare, Laici Ecclesias, & Ecclesiasticos venerari doceantur. Doctrinæ Christianæ opus eximium in memoriam reducant; & Patres, ac Matres familias, vt filios, & seruos mittant ad eam condiscendam, hortentur; facilitatem Iuuenum in contrahendis sponsalibus acritèr reprehendant, ostendantque copulam antè legitimum Matrimonium esse grauissimum peccatum, & stuprum casum esse Episcopo reseruatum.

Detractionem eliminare contendant; enuncient debitum soluendi decimas possidentibus terras, huiusmodi obligationi subiectas. Non Principes, nec Priuatum aliquem lingua feriant, sed parcendo personis vitia insectentur, præsertim verò Blasphemiam. Populum excitent ad conueniendum, quotiès Sanctissimum Christi Corpus defertur infirmis. Denique caueant omninò ab indigna contentione, & vi extorquendi pingues eleemosynas, cùm se ipsos commendant.

Nolumus omninò conciones haberi nocturno tempore, vel dum Missæ, & diuina Officia celebrantur; omnibusque inhibemus Concionatoribus promulgationem Indulgentiarum, Bullarum, & Breuium, quæ manu nostra non fuerint subscripta.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Cap. VIII.

Singulis Dominicis hora congrua post prandium curabunt Ecclesiarum nostrarum Parochi dari campanæ signum, quo audito, Puelli, & Puellæ in Ecclesiam conueniant ad Doctrinam Christianam; cui tam pio, & eximio operi, præter sæculares Operarios (quorum nunquam satis laudatam pietatem cęlestibus benedictionibus, & mercede æterna munerabitur Deus; Nosque ardentissimè cupimus nunquam deficere,) assiduam etiam, solertemque diligentiam conferent Clerici omnes, ac Sacerdotes nostræ Dięcesis. Sciantque primi se ad sacros ordines

nun-

nunquam à nobis promouendos, nisi per iuratas literas testimoniales Parochorum firmiter constiterit eos nobis paruisse. Secundi verò in Ecclesijs nostrarum Monialium celebrandi, aut ad diuina officia conueniendi facultate perpetuò carebunt.

Porrò Doctrinæ Christianæ series in nostris Ecclesijs pro Puerorum captu explananda desumatur, vel ex admirando opere Eminentissimi Cardinalis Bellarmini; vel ex faciliori libello iussu Eminentissimi item Cardinalis Laurentij Prioli pro Ciuitate Venetiarum edito; ex vtroque enim hoc fonte scatent aquæ salutis salientes in vitam æternam.

Animaduertant Confessarij á se absolui non posse mysteriorum nostræ fidei culpabiliter ignorantes. Si quis etiam ad salutem necessaria, hoc est, Orationem Dominicam, Credo, Salutationem Angelicam, Decem Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, peccata mortalia, & Sacramenta probè minimè cognouerit, nunquam poterit aliquem de sacro Fonte suscipere, aut in Confirmatione tenere, nec matrimonium contrahere, nisi fortè omninò indocilis, & penitus inhabilis ad prædicta percipienda reperiretur.

DE CELEBRATIONE, ET OBSERVATIONE *Festorum. Cap. IX.*

Diebus Festis, ad laudandum, & glorificandum Deum primitùs institutis; & quos Populus Missis, diuinis Officijs, audiendis Concionibus, gratijsque Deo agendis transigere tenetur; mandamus primò, ne quis opera seruilia suo, aut aliorum intuitu exercere audeat, necessitatibus, alijsque rationabilibus causis exceptis. Prohibemus etiam importationes, vel exportationes rerum qualiumcũque (publico Principis iussu excepto; quo casu conductores ab obligatione audiendi Missam minimè eximuntur) Parochisque nostris seriò iniungimus, ne cùm in eorum Ecclesijs Titulorum, Consecrationum, seù aliarum solemnitatum Festiuitates celebrantur, tempus ad Dei cultum destinatum in ganeis, popinis, diuersoriis, otiosisque conuersationibus inutilitèr, & vitiosè absumatur; præsertim verò antè Ecclesiam choreas, aut alios ludos fieri nullo modo permittant, etiam clausis (si opus fuerit) Ecclesiæ foribus, ne qua Domui Dei iniuria irrogetur.

Constat

Constat dies festus vigintiquatuor horarum spatio; nempè á media nocte solemnitatem præcedente, vsque ad mediam noctem subsequentem, intrá quod spatium debitum eius obseruantiæ continetur. Quòad diuina Officia verò dies festus incipit à primis Vesperis vsque ad secundas inclusiuè cuiuscumque solemnitatis.

Dies autem Festi illi solummodò intelligendi sunt, quos singillatim Summus Pontifex Vrbanus Octauus in Constitutione Idibus Septembris anno 1642. edita recensuit, ac determinauit. Sunt autem Dominici dies totius anni. Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, cùm duabus sequentibus feriis, Ascensionis, & Pentecostes, cùm duabus item sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inuentionis Sanctæ Crucis. Nec non festiuitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctorum Petri, & Pauli, Sancti Andreæ, Sancti Iacobi, Sancti Ioannis, Sancti Thomæ, Sanctorum Philippi, & Iacobi, Sancti Bartholomæi, Sancti Matthæi, Sanctorum Simonis, & Iudæ, & Sancti Matthiæ Christi Domini Apostolorum. Sancti Stephani Protomartyris, Sanctorum Innocentium, Sancti Laurentii Martyris, Sancti Siluestri Papæ, & Confessoris, Sancti Iosephi etiam Confessoris, & Sanctæ Annæ Deiparæ respectiuè Sponsi, & Genitricis. Solemnitatis omnium Sanctorum. Dies Sancti Marci Vniuersi Dominii Veneti Principalis Patroni, & Sancti Heliodori Pontificis, & Confessoris, præcipui item Turcellensis Diœcesis Patroni ad formam Apostolicę constitutionis prædictæ.

DE CELEBRATIONE MISSARVM. Cap. X.

DE Sacrosancto Missæ Sacrificio, quod est Religionis Christianæ columen, perfectissima ratio Diuini cultus, & Apex Sacrificiorum, multa diuersis temporibus à Sancta Matre Ecclesia constituta sunt, quoad ceremonias, ritum, & modum illius celebrandi, Rubricis Missalis Romani comprehensa; quorum omnium exactam executionem omnibus, & singulis

noſtris Sacerdotibus præſenti Decreto ſtrictiſsimè mandamus:

Nemo de nouo promotus ad Sacerdotium primam Miſſam celebret, niſi à Nobis prius facultatem obtinuerit, quam nullo modo concedemus, niſi verſatum in ceremoniis & ritibus prædictis oſtenderit approbatio iurata noſtri ad id Deputati, vt infrà.

Eleemoſynæ in primo Sacrificio, ſinè noſtra expreſſa licentia non colligantur. Conuiuia, circuitiones per Eccleſiam, ſaltationes, cæteraſque vanitates omninò indecentes ſub grauiſsimis pœnis prohibemus. Quemadmodum etiam ſtrictè præcipimus, ne antè Auroram, & poſt meridiem quis celebret, niſi in caſibus á iure expreſsis, & in nullo foribus clauſis.

In priuatis Laicorum domibus nemini celebrare fas eſt; in iiſque ſolum Oratoriis, & Eccleſiis Miſſa peragi poterit, quæ á nobis recognita fuerint, & cultui diuino idonea iudicata. Quamobrem, licet electio Capellani, aut Sacerdotis fiat ab aliqua Communitate, pio loco, Confraternitate, ſeù perſona Eccleſiaſtica, aut ſæculari obtinente iuſpatronatum, itá tamen electi eaſdem Eccleſias, aut Oratoria nullatenus officiare poterunt, niſi fuerint á nobis admiſsi ſpeciali in ſcriptis licentia.

In Miſſa vinum ſemper album adhibeatur. Paramenta diuinorum officiorum coloribus conformentur. Eccleſiaſticæ veſtes, Mappæ, Corporalia, Animulæ, & cætera huiuſmodi omnem decorem, & munditiam præleferant. Quarè malè habita, conſciſſa, & corroſa ab vſu tam pio amoueantur.

Lumina, ſeù Candelæ, tam prò altari, quam prò Eleuatione numero, & magnitudine tanto Sacrificio reſpondeant, & ad pietatem, ac venerationem Adſtantium magis accendendam ſufficiant.

Sacerdote celebrante Mulieres appropinquare Altari minimè permittantur. Eidem in Miſsis priuatis, quantum fieri poteſt, ſemper aſsiſtat Clericus, Veſte Talari, & mundo ſuperpelliceo indutus. In Miſsis autem ſolemnibus etiam Diaconus, & Subdiaconus, aliique Miniſtri continuò ſilentes in habitu modeſto, & Tonſura Clericali. Ad Altare ſinè presbyterali Biretto nunquam accedant prædicti, amotis, ſub pœna ſuſpenſionis, pileolis, quorum vſus in ipſa Miſſæ Celebratione à ſolo Summo Pontefice concedi poteſt.

Popu-

Popu'os admoneant Parochi, & in visceribus Iesu Christi rogent, vt summa cum animi Deuotione, ac reuerentia Sacrosanctæ Missæ assistant; honestis vestibus induti templum adeant, genuflexi, & capite detecto Sacerdotem circumdent; denique nec loqui, nec hùc, illuc circumspicere, alioue modo nugari audeant, ne diuinæ subiaceant vltioni, sed tanti Sacrificij vberes fructus percipiant. Ad quod summoperè vtile erit, si Sacerdos distinctè, & clarè pronunciet, quæ in Missa alta voce sunt proferenda, vt ab omnibus audiantur, & quæ Secreta appellantur, submissè legat, vt venerationem à Fideliũ animis eliciant, maximè verò Consecrationis tempore, qua in re tanti momenti suæ non fidat memoriæ, sed attentè agat quod agit.

Nouerit quilibet Sacerdos debitum suum circá applicationem Sacrificij, ne conscientiam grauet, & ad Restitutionem teneatur, perlectis, animoque repositis, quæ ad Celebrationẽ Missarum constitutiones Apostolicæ, & Decreta Sacræ Congregationis Concilij ediderunt; non ignorato etiam Pontificio Indulto á Prædecessore nostro obtento de Reductione Missarum quarumcumque in Turcellensi Diæcesi ad eleemosinam duarum librarum, quo commodiori Sacerdotum sustentationi satis piè, & opportunè consultum est. Ac ne beneficium huiusmodi pro Cleri nostri Sacerdotibus impetratum, irritum fit, ac ijsdem inutile, omni contentione curabimus, vt Mansionariæ à Nostrorum Monasteriorum Abbatissis, alijsue Superiorissis, & Monialibus distribui solitæ, Sacerdotibus nostris, Sæcularibus assignentur, sub pænis arbitrio nostro imponendis.

Nullus in Ecclesiis Monialium celebret, aut diuina officia recitet sinè nostra facultate in scriptis obtenta. Sacerdotes tamen Cleri Venetiarum, qui obiter in Insulas nostræ iurisdictionis aduenerint de licentia Confessarij, aut Capellani Monialium celebrare poterunt, iuxta Constitutionem Zenam cap. 4. Paragr. 2. Sacerdotes non nationales, & à nobis sacris ordinibus non initiatos celebrare permittemus in nostra Diæcesi, vbi eorum Dimissorias recognouerimus, & non aliter.

Qui nouos Sacerdotes in Missis, & diuinorum Officiorum Cæremoniis deinceps instruet, destinamus, & declaramus Reuerendum Dominum Vincentium de Iulianis nostrum Ceremoniarum Magi-

ſtrum, qui in omnibus Diæceſis noſtræ functionibus ad ritum Eccleſiæ Romanæ cuncta conformabit, & ex Romanis codicibus, tam Cęremonias, quam Cantum, & cætera omnia depromet.

DE REVERENTIA TEMPLIS DEBITA, & Cæmeterijs. Cap. XI.

ECcleſiaſticis omnibus, & Laicis comendatiſsima ſit reuerentia, ac modeſtia in Templis, in quæ ingreſsi Aqua benedicta frontem aſpergant, Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum genuflexi adorent, & ad nomina Ieſu Chriſti, ac Beatiſsimæ Mariæ Virginis caput inclinent, vt Indulgentias à Summis Pontificibus ob id conceſſas lucrentur.

Nemo inter Celebrationem Miſſarum, diuina Officia, & ſacras Conciones audeat per Templum deambulare, cachinnari, conuenticula cogere, mentes Fidelium perturbantia, & prouocantia iram diuinam. Nemo Altaribus propiùs accedat; innixus ne hæreat Baptiſmali Fonti, aut vaſi Aquæ Benedictæ; verſo tergo, Sanctiſsimo Sacramento irreuerenter ne ſedeat; ſed ſemper genufflectat, maximè cùm in Miſſa eleuatur. Vagari oculis; eoſdem figere in Mulieres occurrentes, præſertim impudicas, portas Eccleſiæ occupare, ſecùm ducere canes, aues, aut alia venatoria animalia, haſtas, & ſimilia inſtrumenta bellica, & manualia deferre, & cætera huiuſmodi ſcandalum generantia peragere in Dei Templo omninò interdicimus. Si quis vero inter Eccleſiarum ſepta aliquem armis, pugnis, baculo, aut alio quouis modo iniurioſè offenderit, vel rixas, & tumultus excitauerit, incidat ipſo facto in excommunicationem latæ ſententiæ.

Exceptis candelis, Imaginibus, & donarijs, quæ ſacro Cultui offeruntur, inhibemus quaſcumque venditiones, nundinationes, alioſque contractus in Cemeterijs Eccleſiarum. Et in Eccleſijs ipſis nolumus Pauperes tempore Miſſarum, Prædicationum, aliorumq. officiorum circumire eleemoſinam petentes, & perturbantes adſtantium attentionem, ſed ad valuas, & limina, vel in area mendicent.

Interdicimus in Eccleſiis, & Cæmeteriis omne genus ludorum, non ſolum ſolemnioribus Diebus, ſed etiam Feriatis. Item omnium Chorearum, & Spectaculorum apparatum; ſuper quo inuig

lent

lent Parochi, ne incidant in pœnas expressas à Beato Pio Quinto in Bulla de Diuini Cultus obseruantia in Ecclesijs retinenda anno 1566. Mulieres Apostolici præcepti memores caput in Ecclesia velent, eamque modestiam, & honestatem præferant, quibus earum custos Angelus, Deique oculi omnia videntes summopere oblectantur.

Nullus Ecclesiasticus sub pœnis nostro arbitrio exigendis inferet in Ecclesias, Sacristias, aut Cæmeteria, quæ dedecent maiestatem Diuinam, vt frumenta, fruges, & similia; neque in dictis locis vestes, aut lineos pannos soli exsiccandos exponet, neque id ab alijs fieri permittet. A solo, & parietibus Ecclesię euellantur Arbores infructiferę, hederę, vepres, & similia, omnique industria curent Parochi, & alij Rectores, vt luto, & immunditia quælibet sæpiùs Templa expurgentur, ne puluis, Aranearum telæ in Parietibus, sordesque in Pauimento, diuini Cultus nitorem imminuant.

Nulla de nouo fabricetur Ecclesia sinè nostra licentia, quam non nisi de earum ornamentis, & dote prò ministrorum sustentatione assignanda admoniti concedemus. Sub noctem dato signo salutationis Angelicæ claudantur fores Ecclesiarum, nec aperiantur, nisi post Auroram, excepta nocte Dominicæ Natiuitatis. Mulieribus omninò interdicatur ingressus in Sacristias, & raró hominibus Laicis permittatur. Quod si Ecclesia aliquandò polluta fuerit, illicò claudatur, nec in ea diuina celebrentur Officia, nisi per Nos, aut alios de nostra commissione fuerit reconciliata.

Sacra supellex Ecclesiæ vsui profano nunquam adhibeatur, neque ad hunc effectum Laicis commodetur. Quod si dicta supellex sacra adeò vetustate consumpta fuerit, vt iam nulli possit esse vsui, comburatur, & cineres recondantur in Sacrario.

Adornentur Ecclesiæ pijs Domini nostri Iesu Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum Imaginibus; nec earum parietes vestiantur vnquam pannis, in quibus Antiquorum fabulæ & Historiæ minus honestæ sordidas excitent cogitationes, sed operiantur ornamentis deuotionem, & Religionem in Fidelium corde accensuris.

Ecclesiastica ministeria non obeant in nostris Ecclesiijs Viri Laici, & plerumque inidonei, sub habitu minùs decenti, & multò mi-

Talari, & Tonsura Ordini suo respondente; secùs priuabitur priuilegio Fori, & alijs Canonum pænis subijcietur. Specialiter verò sub pæna suspensionis, alijsque arbitrio nostro imponendis, prohibemus ijsdem comas nutrire, capillos laxare, cincinnos curiosè componere, & alia huiusmodi leuitatis argumenta sectari, quæ Clericalis disciplinæ decorem omninò dedecent. Sacerdotes in componenda barba minus sint curiosi, labrique superioris pilos ità tonsos deferant, vt in Missa à sumptione Eucharistici Sanguinis minus impendiantur.

Clericalis vestitus nec nimis elegans, & splendidus sit, neque sordidus, & abiectus. Vestis talos feriat; collare modestè ad collum aptetur, non super terga soluatur; manicæ, ac cingula externa sint nigri coloris. Permittimus tamen breuiores Vestes in itineribus tantùm, nunquàm in Ecclesijs cùm diuinis intersunt. Tibialia viuacioris coloris omninò vetamus, sed tantum sint nigri, violacei, vel subobscuri. Pilei nec oblongæ, nec acumitatæ sint formæ, sed iuxtà Religiosam consuetudinem, non sæcularem vanitatem. Quotiès autem in Ecclesijs, in Choro, in Congregationibus, supplicationibus coràm nobis comparere contigerit, Birettum quadratum, insigne proprium Ecclesiasticorum, adhibeant. Deniquè nullus Clericus annulum deferat, nisi forte Dignitas, aut Doctoratus id exigeret, quẽ tamèn in Missæ Celebratione semper deponet.

Inhibetur Clericis personatorum laruis se tegere, ad publicos Histriones accedere, Theatrales ludos, Comædias, aliaque profana spectacula adire, Venationibus, Piscationibus, Remigationibus, Tabernis, Cauponis, Aleis, similibusque ludis prohibitis vacare sub pænis arbitrio nostro imponendis. Publicis etiàm conuiujis interesse ijsdem vetitùm est, maximè si eis canere, aùt musica instrumenta pulsare contra sui status dignitatem inuitarentur.

Fæminas domi suæ nemo ex Clericis nostris retineat, etiam si Cognatæ, vel consanguineę fuerint, Matreq́, & Sororibus exceptis. Si quis autem Prædictarum necessitatem habuerit facultatem in scriptis à Nobis obtinere teneatur. Nemo Comatres assumat, sed à Mulierum omnium consortio, & colloquio sui boni nominis amans, abstineat. Diuitias nimis ne consectetur, sed modesta supellectili domi contentus Sacris Imaginibus, non sæcularibus Picturis, aut alijs inanibus pompis cubicula adornet.

Mercaturæ cuiuſcumque exercitium noſtris Clericis prohibemus ſub pæna amiſſionis quarumcumque rerum, & mercium, quarum medietas accuſatori, altera Locis Pijs á nobis nominandis tribuetur. Prohibemus etiam iiſdem Medicinam exercere, Societatum contractibus ſe ingerere, conducere prædia, aliorum Perſonam tanquam Procuratores repræſentare, Fidei iuſſionem facere (niſi ad pias cauſas) ſeù Tutoris partes ſuſtinere, ſinè expreſſa noſtra licentia, etiam ſi indirectè per ſuppoſitas perſonas antedicta præſtarentur.

Quoniam verò non ſine ingenti animi noſtri dolore accepimus per multos Clericos, etiam Sacris initiatos, & Parochialibus Eccleſijs adſcriptos, Diuinorum Officiorum tempore, aut in valuis Eccleſiarum otioſos conſiſtere, aut in Eccleſia indecenter confabulari, aut per Plateas & compita cùm ſcandalo Secularium errare, præſenti noſtra conſtitutione prædictis omnibus ſtrictè præcipimus, vt eo tempore Choro cùm alijs interſint, & miniſterijs ſuis ſedulo perfungantur, ſub pæna priuationis cuiuſcumque licentiæ celebrandi, & officiandi in Eccleſijs monialium, alijsque Arbitrio noſtró.

Canonici noſtri, qui in Clero, tamquam in Cęlo primæ magnitudinis ſydera ſplendidiùs collucent, forma totius Gregis facti, in partem laborum noſtrorum toto à nobis animo hic compellantur. Præſertim verò Synodalium harum Conſtitutionum exactæ obſeruantiæ, & executioni Eccleſiaſtico Zelo adlaborent. Statis temporibus horas Canonicas recitent; cantent ſuo ordine Miſſas ad formam Decreti Prædeceſſorum noſtrorum á nobis (quantùm opus eſt) confirmati. Electi in Punctatores ſumma Fide, & diligentia notent, qui Choro adſuerint, & Miſſis cantatis non interuenerint, vt ad ratam iuxtà Pontificias Conſtitutiones diſtributionibus priuentur. Nullus Canonicus, tamqnam Subdiaconus, vel Diaconus inſeruiat alteri, niſi Epiſcopo, ſolemniter celebranti.

DE OFFICIO PAROCHI, SEV PLEBANI. Caput XIII.

PRæter ea, quæ in viſitatione noſtra, & diuerſis huius Synodi decretis Parochis, ſeù Plebanis noſtræ Diœceſis iniuncta ſunt, ſingulis etiam Dominicis populos Doctrinam Chriſtia-

nam

nam doceant sub pænis in Synodo Prædecessoris nostri contentis; Missam in eadem quolibet Die festo celebrent, Euangelium populo explicent, Ieiunia de præcepto, & Festa intrà hebdomadam occurrentia denuncient, in domo Parochiali noctu, diuque resideant, Infirmos sæpè visitent, consolentur, & ad pænitentiam alliciant. Quoniam verò Agonizantes ob acerrimum oppugnatorem validiore indigent auxilio, mandamus cunctis Plebanis, & Parochis, ne per momentum quidem absque sua, vel alterius Sacerdotis assistentia illos deserant: paratasque habeant breues formulas, & orationes iaculatorias, quibus ad actus Fidei, Spei, & Charitatis, eo momento, à quo pendet æternitas, pernecessarios excitent, & ad vincendas tentationes opitulentur.

Specialem habeant curam sacræ supellectilis Sacristiarum; libros in visitationibus; & in Rituali Romano Pauli Quinti ordinatos diligenter asseruent, Cęremonijs, & Rubricis eiusdem Ritualis in Sacramentorum administratione omninò vtantur, semotis cunctis alijs superstitiosis Ritibus, sub pæna suspensionis á Diuinis. Sacramentalia pro materia, & vsibus Sacramentorum instituta diligenter custodiant, itá vt nullo prætextu pietatis, deuotionis, aut alio quolibet distrahantur. Aquam benedicturi solos adhibeant ritus, & preces iniunctas á dicto Rituali, & á Missali Romano nouissimè impresso, & emendato; siuè infrà annum, siuè (vt satisfiat Populi deuotioni) in Peruigilio, vel ipsa die, vel infrà octauam Epiphaniæ dictam benedictionem fieri contigerit. Quod quidem Missale, & non aliud in Nostra Diœcesi adhiberi mandamus; sicuti & in diuinis Officijs moderno Breuiario Romano cùm nouis Hymnis Vrbani Octaui auctoritate recognito, & in Choro simili Martyrologio nouo omnibus semper vtendum erit.

Plebanorum etiam nostrorum Solertiæ, & Charitati deferendum putamus, si ex proprio Capitulo, vel extrà pium aliquem Sacerdotem, & Cantus (vt aiunt) Firmi peritum inueniant, ac deputent; qui Ecclesiæ suæ Clericos, Chorum, & Ecclesiasticam modulationem sustinentes, in prædicto Cantu diligenter erudiat, sciantque id in maiorem Dei gloriam, abundantius proprij regiminis decus, nostramque ingentem consolationem cessurum, quoties Dei amore, & in Nostri Decreti obedientiam omnem ab eis ad hunc effectum nauatam operam, semperque meliores fructus

in

in Domini vinea hinc enatos comperiemus. Nullos autem nos huiusmodi Clericos ad Sacram Ordinationem imposterum admittemus, nisi iuratas Plebanorum attestationes super huius nostri Decreti obseruantia exhibuerint, aliasque à negligentibus tam vtili opus pænas exigemus.

Præcipimus pulsari campanas in occasione Turbinum, & Tempestatum cùm sint ad hoc benedictæ.

Illud demùm ad Plebanorum nostrorum maius decus, ac dignitatem facturum duximus, si districtè iusserimus, vt re vera iubemus Clericis quarumque Ecclesiarum, Subdiaconi, & Diaconi titulis decoratis, vt quoties Plebano solemniter celebrandum erit teneantur ipsi inseruire ad Altare in proprijs Dalmaticarum Paramentis, sub pæna suspensionis à diuinis, alijsque arbitrarijs, præcipuè verò priuationis cuiuscumque licentiæ celebrandi, & officiandi in Ecclesijs Monialium.

DE SACRAMENTIS IN GENERE. Caput XIV.

NEmo imposterum ad Sacramentorum administrationem à Nobis admittetur, qui materias, formas, & cæteras eorum partes non benè calluerit, & casus saltem communiores non didicerit, qui in eorum tractatione contingere solent. Quæ igitur de singulis Sacramentis diligenter animaduertenda erunt à Parochis, & alijs, quorum interest, sequentibus Decretis exponemus.

DE SACRAMENTO BAPTISMI. Caput XV.

EX Baptismo, Sacramentorum Ianua, salus hominum pendet, omnisque prouenit culpæ remissio. Ritè igitur, & rectè administrabitur si quæ de ipsius materia, & forma ministro, & Patrinis in Rituali Romano decreta sunt, diligenter Parochi obseruabunt.

Præcipuè verò horum partes erunt instruere obstetrices, & rudes homines, qui multotiès in casibus necessitatis baptizant, Primò

trò formam ab ipsis proferendam materna lingua hanc esse. Io ti battezo in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo, & eodem tempore aquam effundendam super caput Infantis, intentionemque habendam faciendi, quod facit Ecclesia. Secundò, si Puerim embium aliquod egrediatur ex vtero Matris, statim illud baptizandum, quod si egrediatur totum corpus, vel tantum caput rebaptizandum sub conditione. Tertiò Materiam in casibus necessitatis esse solam aquam absque sale, & sacris oleis. Quartò in hoc actu Baptismi priuati contrahi cognationem spiritualem inter personas à Tridentino expressas, non verò in sequentibus ceremoniis, quæ in Ecclesia adhibentur. Quintò in dubio vtrùm Infans viuat, vel non, baptizandum sub conditione, si viuat, non aliter. Tandem hortentur Parochi Matres, ne pueros in proprio lecto cùm suffocationis periculo retineant, & vbi primum domo exierint, Templum petant, de fructu cælestis benedictionis accepto Deo gratias acturæ.

In omni Ecclesia Parochiali ædificetur Baptisterium (si commodè fieri poterit) in capella ad hoc deputata. Sit ex solido marmore decenti forma, & tali artificio dispositum, vt ab vna parte effluere possit Aqua, super caput baptizandi infundenda, in alia verò conseruetur eadem Aqua, renouanda quolibet Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Pentecostes, seù quotiès necessitas tulerit, ad præscriptum Missalis Romani reformati.

Fons baptismalis operiatur nuceo Ciborio in figuram Pyramidis. Sanctissimæ Trinitatis, vel Sancti Ioannis Baptistæ Christi baptizantis Imagine, aut Crucis effigie summitas eius ornetur. In interiori parte vestiatur Ciborium tela alba, in exteriori autem nobiliori velo. Vas ad aquam infundendam, siuè argenteum, siuè stanneum semper nitidissimum seruetur. Oleorum vascula sint argentea, benè obturata, inter se distincta, cùm suis inscriptionibus, ne vnum prò altero sumatur; ac in Thecis coreaceis sub claue in loco decenti custodiantur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.
Caput XVI.

Confirmatio, qua Christianorum corroboratur Fides, in eosque Spiritus Sancti Gratia, & cælestia munera diuinitùs aceruatim infunduntúr suis legibús, ac cæremoniis antecedentibus, comitantibus, & subsequentibus exactissimè administranda erit.

Parochi ergo huius Sacramenti Imaginem in suorum populorum animis materno idiomate imprimentdiebus proximè superioribus eius administrationi; docentes, Sacramentúm hoc solis Episcopis reseruari, & caracterem in eo imprimi, hoc est, qualitatém spiritúalem, qua múnimur in Fide, & augetur nobis Gratia ad eam secluso timore confitendam.

Curabunt etiam Parochi, ne ad hoc Sacramentum suscipiendúm adducantur Pueri ante septennium; sintque in primis saltem Fidei rudimentis instructi. In extremo tamen vitæ periculo constitutis Confirmationis auxilia non denegabuntur. Quoniam verò Sacramentum hoc iterari non potest, adulti, & puberes, antequàm ad Confirmationem accedant, moraliter certi sint illam non recepisse; & in dubiis Parochus certiores nos faciet, vt deliberare possimus, quid in Domino expedire virum fuerit. Demùm ij Sacramento Pænitentiæ sint omni peccato expiati, vel saltem actum Contritionis eliciant.

Puerorum confirmandorum Patres, & Matres (Adulti enim per se immediatè id præstare tenebuntur) describent in pagina, vel, si scribere nescient, describendum ab alio curabunt nomen filii, vel filiæ confirmandæ vnà cùm nominibus, & cognominibus propriis, nec non Parochiæ, in qua degunt, ac demùm Compatris, & Commatris. Volumus autem omnes, & singulas has schedulas consignari vni ex nostris Capellanis, á quo Parochi infrá dies octo teneantur illas recipere, & in speciali libro Confirmatorum iuxtá formam Ritualis Romani, ad futuram rei memoriam transcribere, sub pænis arbitrio nostro iuxtá negligentiam imponendis.

Patrinis, & Commatres Confirmationis ipsi quoque confirmati sint, & vnus dumtaxat, vel vna eligatur. Masculi á Masculis,

Fæ-

Fæminæ á Fæminis leuentur, non contrá, nec admittatur vnus, & vna, vt in Baptiſmo; in quo Patrinus diſtinctus á Patrino Confirmationis (niſi neceſſitas vrgeat) adhiberi ſolet. Calleat Patrinus rudimenta Fidei, quæ ſuſceptos, ſi opús fuerit, edocere valeat. Nemo eadem die ſine noſtra expreſſa licentia multorum Patrinus eſſe poterit. & ad reuerentiam Sacramenti ſinè vllis armis hoc múnus exercebitur, ſicúti & in eamdem reúerentiam mulieres ſegregari debent ab hominibus, itá vt iſti in cornu Epiſtolæ, illæ á latere Euangelii conſiſtant.

Moneantúr Parentes, ne proprios ſuſcipiant filios, & coniugati ne ſe inuicem deferant, contracturi alioquin impedimentúm cognationis ſpiritualis, quæ ipſós á debiti matrimonialis petitione prohibeat. Cæterùm Cognatio ſpiritúalis, quæ in hoc Sacramento contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egreditur.

Confirmandi, Patrini, & quicumque alii huic Sacramento aderunt, ſilentium obſeruent, audiantque ſalutáre onus, quód vnus ex noſtris Capellanis, Pueris, & Adultis iam Confirmatis denunciabit; vt videlicèt, qui legere nouerint, per ſeptem dies recitent Officium paruum Spiritus Sancti; qui veró legere ignorauerint, dicant qualibet die vnius hebdomadæ ſepties Pater, & Aue, quod vt á Confirmatis præſtetur, eorum Patres, & Matres diligenter curabunt. Denique á locó Confirmationis nemo antè ſolemnem Epiſcopi benedictionem diſcedat.

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE. Caput XVII.

QVicumque Baptiſmalis innócentiæ candorém peccatorum ſordibus infecerint, Pænitentiæ Sacramento æternas pænas euadere poſſunt. Idcircó ſecunda poſt naufragium Tabula appellatur, cui minimè innixos in profundum demergi neceſſe eſt.

Rituale igitur Romanum ad accuratam huius Sacramenti adminiſtrationem probè addiſcendam noſtræ Diæceſis Curati omnes diligenter excurrent, libros optimorum Doctorum, in caſibus difficillimis conſulent, & non niſi præuio rigoroſo examine á No-

bis admittantur, quicumque Confessarij, etiam sanctimonialium munus exercere voluerint.

Rerùm cognitioni consona sit in Confessarijs integritas vitæ, vt Verbo, Conuersatione, Charitate, Fide, & Castitate populos ædificent, & exemplo vitam subditorum componant. Habeant in promptú exempla, & dicta Sanctorúm Patrum, & Sacra Scripturæ loca ad salutaria remedia pænitentibus præscribenda, sed præsertim oratione lumen, & auxilium á Deo implorent. Promptos, facilesque se præbeant, cum ad audiendas confessiones vocantur, eo tantúmodò fine, vt animas Christo lucrifaciant, non quęstus, sed solius animarum salutis appetentes.

Sedilia ad Confessiones excipiendas in Ecclesiæ situ patenti, & cònspicuo disponantúr, itá vt tam Confessarius, quàm pænitens facilè conspiciatur. Hos diuidat asser crate ferrea minútim perforata instructus; & si quæ Confessionalia prædictam formam non habeant, illicò ab Ecclesijs auferri mandamus.

Sacerdos sæcularis cùm superpelliceo, stola violacea, & Biretto præsbyterali confessiones excipeat; Regulari satis erit, si suprá proprium habitum stolam adhibeat. Nemo autem ex his antè Ortum, vel post Occasum Solis quocumque prætextu mulieres ad Confessionale admittat. Peccatores restitutionibus obnoxios Confessarij non absoluant, nisi promptè satisfaciant, Ecclesiarum præcipuè Fabricis, & Locis Pijs. Publicos Peccatores ad nos remittant (nisi immineat mortis periculum) vt pro modo culpæ condignam ijs pænitentiam iniungamus. In sede confessionali chartulam affixam habeant casuum nobis reseruatorum cùm forma absolutionis in Rituali Romano præscripta.

Spectabit etiam ad huius Sacramenti Ministrum dispositionem Pænitentis scrutari: ad quod conducet, si Pænitens ore exprimat, quàm sentit in corde, peccatorum suorum displicentiam, & propositum firmum abstinendi in futurum cùm spe Diuinæ misericordiæ, proposita præsertim illi saltem in genere peccati fœditate, bonitate Dei, damnationis periculo, & pænarum æternitate, quibus contritio in peccatoribus facilè excitatur.

Quos Confessarius repererit sinè culpa ignorare articulos Fidei, vnica tantùm vice absoluet, sicut & Patres, ac Matres, qui Filios, ac Filias ad doctrinam Christianam negligunt mittere, eosdem, ac

seruos

seruos tolerant, qui statuto tempore non confitentur, neque Eucharistiam sumunt. Missam non audiunt diebus festis, eorúmdemque seruilibus operibus violant sanctificationem. Caueat, ne publicis, aut priuatis colloquijs Confessionis sigillum quoquo modo frangat; & dum Pænitentes interrogat, considerate id faciat, ne doceat, quæ non oportet; præcipuè verò illos moneat sui debiti (si casus postulet) in ijs, quæ attinent ad Sanctum Officium Inquisitionis. Demùm meminerit grauissimæ Constitutionis Gregorij Decimi Quinti contrá sollicitantes.

Incipiant Parochi prima Dominica Quadragesimæ inter Missam admonere populum, ne confessiones differat in Hebdomadam maiorem, eumque instruant de rebus necessarijs ad examen conscientiæ, ad dolorem concipiendum, ad integritatem, & fructum confessionis, ac tandem de præcepto communicandi in Paschate, ne pænis á Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino impositis puniantur.

Casus, quos pro huius Turcellensis Ecclesiæ bono regimine nobis reseruatos esse volumus, sequenti Tabella promulgamus, eamque duraturum decernimus, quamdiù altera fiet admonentes Confessarios omnes tàm sæculares, quàm Regulares, ne ab his sinè nostra facultates quempiam absoluant, sub pæna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs contentis in Decreto, à Sacra Congregatione iussu Clementis Octaui edito, ac publicato.

CASVS RESERVATI.

1 Qui nomen Dei, aut Beatæ Virginis ex praua consuetudine blasphemauerint.

2 Attentantes cùm Monialibus actus impudicos, lasciua colloquia, seù litteras amatorias scribentes.

3 Qui Virgines vi deflorauerint.

4 Incestuosi in primò, & secundò gradu consanguinitatis, & affinitatis.

5 Matres, quæ post sponsalia, vel consenserint, filias suas cum earum sponsis se carnaliter commisceri antè contractum Matrimonium in facie Ecclesiæ, & ipsimet sponsi, qui se ità cognouerint.

6 Qui-

6 Quicumque maleficijs, aut incantationibus ad Matrimonium impediendum, vel dirimendum, vsi fuerint.

7 Vxores, quæ sine iustà causa, á nobis cognoscenda; à suis maritis contra eorum voluntatem separatæ vixerint.

7 Scientes, & non denunciantes impedimenta matrimonij contrahendi, vel iam contracti.

9 Peccatum carnale contrà naturam.

10 Qui Patrem, & Matrem, aliumque ex ascendentibus consanguineis, verberauerint.

12 Homicidæ voluntarij, & de industria abortum procurantes, nec non suffocantes paruulos ex negligentia in lecto, vel extrà.

FORMA ABSOLVTIONIS SACRAMENTALIS
est huiusmodi.

INiuncta priùs pænitenti, & ab eo acceptàta salutari pænitentia primò dicat.

Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Deindè, dextera versus pænitentem eleuata, dicat.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat; & egò auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

Deindè ego te absoluo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij ✠ & Spiritus Sancti. Amen.

Si Pænitens sit Laicus omittitur verbum (suspensionis.)

Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali substinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

DE EVCHARISTIA.
Caput XVIII.

AVgustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in cuius conspectu procumbunt Angeli, & contremiscunt Potestates, in omnibus nostris Ecclesijs Parochialibus, Monialium, & alijs, ea, qua decet reuerentia, & cultu, in Pixide argentea interiùs inaurata, operculo Cruce insignito bene clausa, & albo velò serico, & pretioso cooperta in tabernaculo custodiatur.

Tabernaculum hoc ex solida, & nobili cônstruatur materia, putà diuite marmore, montana Chrystallo, Ebeno, vel ligno deaurato. Vestiantur eius partes internæ panno albo, oloserico, auri, argentique filis ditato, & Pixides duæ (vna maior, altera minor, vt, vbi Corpus Christi renouare contigerit, recentes particulæ in vna consecrentur, & veteres primò ex alia distribuantur) super mundissimo Corporali continuò collocentur. Claudatur ipsius ostiolum claue deaurata, à Parocho, vel Sacrista diligentissime asseruanda. Exteriùs prædictum Tabernaculum Conopæo decenti adornentur, & antè ipsum plures, vel saltem vna lampas perpetuò die, noctuque ardeat; cæteris omnibus ad tanti Sacramenti cultum attinentibus, eo ordine, & ornatu dispositis, vt á nobis negligentiæ pænas vllas exigere non sit necesse.

Particulæ octaua quaque die renouentur; & semper in Pixide tres ad minus sint, quibus improuisis Fidelium necessitatibus occurri possit. Commendabunt autem Populo frequentiam huius Sanctissimi Sacramenti Parochi omnes; & Adolescentes, cùm primum ad illud accessuri fuerint, ea omnia edoceant, quæ ad fructuosam eius sumptionem necessaria videbuntur; pueri non antè annum decimum quartum, & puellæ non antè duodecimum ad hanc spiritualem mensam admittantur, nisi fortè ob perspicaciam ingenij, & deuotionis anticipationem aliud videatur prudenti Confessario statuendum.

A Sacra Communione arceantur publici peccatores, excommunicati, concubinarij. Coniuges sinè causa cohabitare nolentes, & alij notorij pertinaces in vitijs. In eius autem administratione

tione separentur (quantum fieri potest) fœminæ à masculis, & Curati accedentibus Festis Pascalibus Fideles admoneant, vt deuotè se ipsos præparent ad tanta Mysteria dignè suscipienda.

Cum Eucharistia in priuatas ægrogantium domos deferenda fuerit, conuocentur publico campanæ signo Fideles, qui cum cereis, & intortitijs ipsam associent, & Vmbellam, seù Baldachinum albi coloris (vbi haberi poterit) deferant. Facto conuentu, Sacerdos indutus superpelliceo, stola, & Pluuiali albi coloris (si adsit) veloque serico tectis humeris ad Altare accedat, vbi genuflexus paululùm oret. Deindè duas particulas consecratas in minori Pixide recondet, quarum vna ad Communionem infirmi vtetur, alteram ad Ecclesiam reportabit; nisi fortè Infirmi essent plures, ad quorum numerum assumendæ erunt particulæ, & vna ampliùs. Hoc peracto Pixidem humerali velo coopertam vtraque manu sumens Baldachinum subeat, ac nudo capite procedens, vno saltem Clerico cùm Rituali, Corporali, Bursa, & campanula iugiter pulsanda antecedente, recitet Psalmum Miserere, & alia prò vt in Rituali Romano de Communione Infirmorum præscribitur. Peracta Communione, & reportato Sacramento ad Altare, enunciabit populo Indulgentiam centum annorum à Summis Pontificibus cōcessam Sacram Eucharistiam comitari assuetis. Verum in locis longinquis non erunt necessariæ nisi Particulæ respondentes numero infirmorum, itá vt nulla supersit. Tunc enim Sacerdos facta Communione superpelliceum, ac Stolam deponit, extinguuntur lumina, & amoto Baldachino diuertit priuatim; quo casu Indulgentiæ denunciantur vel antè egressum ab Ecclesia, vel in ægrotantis ædibus pròut magis expediet.

Non exponatur vno eodemque die Sanctissima Eucharistia nisi in vna tantum nostræ Diæcesis Ecclesia, quod tamen intelligimus, in ordine ad eumdem locum, vel Insulam. Id circò iubemus quamprimum imprimi, & promulgari Chartam (vt aiunt) Expositionis, ne tam sacrosanctæ functionis ordo confundatur. Huiusmodi Expositio nunquam fiat nisi in Altari maiori, in Ostensorio nobili, vmbella albi coloris, & prædiuiti cooperto, & non sinè congruo intortitiorum, & candelarum numero, quas duodecim ad minus esse præscribimus. Incipiet Expositio circá horam tertiam, & dimittetur post solis occasum, nec vllo pacto, causaue prorogetur.

Fiet

Fiet autem semper diebus Dominicis, & Festis, non verò ferialibus, & quandiù durabit Expositio, in Ecclesijs sæcularium continuò in Capella Expositionis aderit Sacerdos, aut Clericus superpelliceo vestitus, ac genuflexus; In Ecclesijs verò Monialium duæ saltem Sorores Conuersæ. Si commodè fieri poterit, spirituali aliquo sermone in principio, & in fine Expositionis accendatur populus ad pietatem. Tandem particulares expositiones Sanctissimi Sacramenti, siue singulis ferijs sextis mensis Martij, siuè Quadraginta diebus per horam in Quadragesima, siuè alio pacto fiant, etiam in Ecclesijs Sanctimonialium, præsenti nostro Decreto approbamus, dummodo suprascripti Ordines adimpleantur.

Processio cùm Sanctissimo Sacramento in nostra Cathedrali semper à Nobis fiet, vel ab Archidiacono, aut alio ex Canonicis, in Parochialibus Ecclesijs á Plebano, vel Parocho. Ad has processiones conueniant Sacerdotes, Mansionarij, & Clerici eius Ecclesiæ, in qua fiet Expositio; omnes superpelliceis induti, & cùm debita reuerentia, ac modestia. Quod si in dicta Ecclesia pauci adeò essent, vt defectu numeri Ministrorum, Cæremoniæ, minùs commodè perfici possent, conuocentur Sacerdotes vicinarum Ecclesiarum tam in Expositione, quàm in repositione, & augeatur luminum numerus, vt decentiùs Deus honoretur.

In processionibus hebdomadæ Sanctæ, quæ Feria quinta, & sexta, die, vel noctu ob populi deuotionem fieri consueuerunt, seruetur omninò forma Ritualis Romani. Deferatur Sanctissima Eucharestia in solito Ostensorio sine velo nigro, sub Baldachino albo, in paramentis itidem albis, & cantetur solus Hymnus, Pange lingua gloriosi, vt Prædecessor noster prudentissimè, ac sanctissimè decreuit.

Cæterum in his, & alijs omnibus Processionibus, etiam Exequialibus in nostra Diæcesi ordinariè, & extraordinariè fieri solitis, non alius deinceps præcedentiæ ordo seruabitur, nisi quem præsenti nostro Decreto inuiolabiliter tenendum statuimus, videlicet; præcedant Confraternitates Sæculares (si adsint) non tamen ità diuisim procedentes, vt Sanctissimum Sacramentum, feretrum, vel quidquam aliud medium intercipiant, vel Clerum vllo modo sequantur, sed vnitim Diuinum cultum adaugeant. Subsequatur deindè Clerus Regularis; vltimo loco immediatè antè San-

Sanctissimum Sacramentum, feretrum, aut quidpiam aliud Clerus Sæcularis; non obstante quacumque in contrarium consuetudine, quam si quis in posterum vigere voluerit, ordinemque prædictum ab Ecclesia semper retentum præuertere, aut quouis modo perturbare præsumpserit, grauissimas arbitrio nostro pœnas incurret.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.
Caput XIX.

NE antiquus Humani Generis hostis de Fidelibus victoriam obtineat, si dùm ex hac vita decedunt, eius fraudibus cesserint, benignissimus Redemptor noster Extremæ Vnctionis Sacramentum instituit, cuius præsidio non solùm corporis infirmitati mederi, sed Satanæ etiam impetus coercere possemus.

Sacramentum igitur Extremæ Vnctionis adultis naturali infirmitate laborantibus, & ægrotantibus periculosè administretur à Parochis; qui diligenter animaduertant, ne ob vana infirmorum, seù mulierecularum adstantium terriculamēta eius ministratio adeò differatur, vt interim ægrotus vsum rationis amittat. Quamuis enim conferri valeat infirmo, quid circà se agatur, non intelligenti, & in agonia posito, fructus tamen Sacramenti non facilè recipit, qui sensibus amissis, & viribus, virtuti eius, & precibus in eo contentis non ampliùs attendit.

Non ministretur extrema Vnctio sinè vno saltem Clerico superpelliceo induto, Sacerdoti respondente, & necessaria ministrante; ipse vero Sacerdos stolam violaceam superpelliceo addat; & iubeat vnam saltem candelam ad ægrotantis lectum accendi, seruatis quoad reliqua in Rituali Romano præscriptis.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Caput XX.

CVm ad ministeria Ecclesiastica rectè, ac legitimè obeunda per Sacramentum Ordinis aditus pateat, non ab re fuerit ea hic statuere, quæ ad Clericalem militiam vocatis erunt inuiolabiliter obseruanda:

Quicumque igitur Prima Tonsura, & Minoribus ordinibus à nobis initiari voluerit, quindecim diebus antè ordinationem, si nostræ Diæcesis, octo tantùm, si alienæ, vel Regularis fuerit, nomen, & cognomen suum deferat ad Cancellarium nostrum, qui ad sacram Ordinationem requisita omnia diligenter cognoscet. Deindè sistat se corám Nobis examinandum; deferatque iuratás attestationes á Nobis, vel Vicario nostro Generali approbandas, super Natalibus, ætate, integritate vitæ, studiis literarum, frequentatione Christianæ Doctrinæ singulis Dominicis, & Sacramentorum Pænitentiæ, & Communionis singulis Mensibus, delatione habitus, & Tonsuræ, exercitio ordinum respectiuè susceptorum, Ecclesiastici, seù (vt vulgò aiunt) Firmi cantus peritia; demùm super dispensationibus legitimitatis, annorum, & interstitiorum (si quæ opus fuerit) sinè quibus omnibus testimonijs, vt suprà, iuratis nullum omninò Clericum imposterum ordinare statuimus; & in hoc eorum, ad quos pertinet, conscientiam seriò oneramus.

Sacro verò Subdiaconatus ordine initiandus, preter hæc omnia nomen suum, & cognomen proprio etiam Parocho deferet, qui tribus festis inter Missam frequenti populo denunciationes consuetas euulgabit in hunc modum:

FORMVLA DENVNCIATIONIS
Ordinandorum.

ORdina il Sacro Concilio di Trentò nella Sessione 23. al cap. 5. che li Parochi debbano denunciare publicamente all'Altare nelle solennitá delle Messe i nomi di quei Chierici, che desiderano esser promossi specialmente á gl' Ordini Sacri; acciò possa il Superiore venir in notitia de gli impedimen-

ti, & diffetti degli ordinandi, cosi intorno alla nascita, & all'etá come á costumi.

Per tanto io   così commandato da Monsignor Illustrissimo nostro Vescouo faccio publicamente intendere a ciascheduno, come   habitante nella Cittá di   (ò Terra, ò Isola di   ) desidera di esser amesso all'ordine del   ò   e però se v'è alcuno, che sappia ritroua si in esso ordinando qualche canonico impedimento, è tenuto per zelo di Carità, e per obligo di conscienza farlo sapere à Monsignor Illustrissimo, ò al suo Vicario Generale; acciòche non si conferisca vn tanto Ministerio á persona, ò del tutto indegna, ò affatto inhabile al culto di Dio, contro la retta mente di sua Signoria Illustrissima, & alla santa dispositione de' Canoni.

Hoc peracto, si impedimentum aliquod inuenerit Parochus, illud ante tempus ordinationis nobis significet, neque vllas litteras testimoniales conficiat, quàm à nobis acceperit, quid sibi sit peragendum. Si verò nullum impedimentum occurrerit, per litteras sigillo, & manu propria signatas testetur id Parochus; easque nobis ità obseratas deferent, qui cupiunt ordinari, dùm se examini præsentabunt.

Qui ad titulum Beneficij, aut Pensionis Ecclesiasticæ Sacris Ordinibus est initiandus, tenebitur præsentare Bullas expeditionis, & Possessionis. Qui verò ad titulum Patrimonij, scripturis autenticis demonstrabit, se esse pacificum Dominum, ac Possessorem tot bonorum stabilium, ex quibus sexaginta ducatorum annuorum prouentum liberum ab omni onere trahat. Hæc autem bona sinè expressa nostra licentia nunquam alienare poterit, sub pænis per sacros Canones constitutis; quibus etiam subiacere volumus quotquot fictis Patrimonijs ordinabuntur, qua in re Cancellariæ nostræ Ministros diligentissimos optamus.

Cùm verò sæpè accidat, ex alienis Diæcesibus ad nostram complures Ordinum causa conuenire, nullos ex his á nobis admittendos præsenti decreto declaramus, nisi afferant dimissorias de ordine suscipiendo à suo ordinario obtentas, de proximè susceptis testimoniales litteras, de denunciationibus in sua Parochiali Ecclesia factis, de ætate debita, legitimis natalibus, aut Canonica super

his.

his dispensatione, de functionibus superiorum ordinum ritè præstitis, de dispensatione super Interstitijs, de vitæ honestate, & morum integritate, denique de patrimonio, titulo, aut beneficio, si Sacrum Ordinem petierint. Quæ omnia á proprio Ordinario, á quo dimissorias impetrauerint, vel ab eius Vicario Generali sint approbata.

Regulares sacros à Nobis ordines exoptantes testimonium habeant in scriptis de præstita regulari professione, de loco suæ residentiæ sub obedientia, de morum probitate, de exercitio superioris Ordinis, de legitima ætate, natalibus, & studiis, de dispensatione Interstitiorum á suo Superiore petita. Denique quod Ordinarius Diæcesis, in qua degunt, ordinationes non teneat.

Omnes initiati Sacris Ordinibus, siuè minoribus, siuè maioribus peracta ordinatione statim à Cancellario sumant instrumentum suscepti Ordinis, & apud se itá retineant, vt quauis occasione ostendi valeat. Presbyteri autem Missam primam non celebrent antequam à Nobis facultatem in scriptis acceperint, quàm nulli profectò dabimus, qui Cæremonias Missæ optimè non calleat, examinique se se non subiecerit Deputati à Nobis suprá in capite de celebratione Missarum, cuius testimonium Nobis præsentare teneantur.

Dominica proxima antè ordinationes, omnes Parochi populos cohortentur, vt orationibus, & bonis operibus frequentiùs, & attentiùs incumbant; quo nimirùm propitiatus Deus vberiorem gratiam ordinandis tribuat, quibus adiuti animarum salutem studiosiùs operentur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII. Caput XXI.

SAcramentum magnum in Christo, & Ecclesia Matrimonium est; cum ante Christum solùm esset ciuilis contractus. Quamobrem Parochis omnibus maximè enitendum est, vt ad præscriptum Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij omninò administretur.

Quoniam verò eiusdem Concilij, & Iuris Canonici decretorum ignorantia aliquandò ingentium errorum causa est in dignoscendis gradibus

gradibus consanguinitatis, affinitatis, & spiritualis cognationis, ità vt aliquandò publicentur matrimonia, & ineantur etiàm inter personas iure prohibitas: Idcircò Parochos nostros seriò monemus, vt Arboris, & Graduum distantiæ certas regulas addiscant; illasque materno idiomate populum bis in anno prudenter edoceant; vt sciri possit, an subsit impedimentum, Ecclesiæ deferendum. Impedimenta autem Matrimonij, cùm suis circumstantijs, & differentijs, declarationesque Sacræ Congregationis Concilij super eisdem legant Parochi, & memoriæ figant diligentissimè exaratas ad calcem Libri de Officio Curati Ioannis Baptistæ Bernardini Posseuini.

Teneatur Parochus, antequam Matrimonium contrahatur, tribus diebus festis continuis in sua Ecclesia publicas denunciationes habere iuxta præscriptum Ritualis Romani. Exploret autem priùs Sponsi, & Sponsæ seorsim voluntates; habeatque ab eis verbum, vt cùm vtriusque consensu, ac libertate id fiat. Interroget etiam Sponsos, an sciant rudimenta Fidei Christianæ; quæ si ignorauerint, nec publicationes, nec Matrimonium procedat, nisi de nostra licentia; quod si diuersarum Parochiarum fuerint Sponsi, denunciationes fiant in vtraque Ecclesia Parochiali; Et vnus Parochus non denunciet in sua Ecclesia Matrimonium contrahendum, nisi priùs alterius Parochi testimonio cognitam habuerit voluntatem contrahentis, qui in alterius Parochia existit.

Si rationabilibus de causis denunciationes omitti contingerit, id non fiat nisi de nostra licentia, sinè qua Matrimonio contrahendo Parochus nullo modo assistet. Nunquam Matrimonium celebretur illa eadem die, qua Denunciatio facta fuerit, & si ab vltima Denunciatione duo menses lapsi fuerint, neque tamèn Sponsi contraxerint, Denunciationes repetantur, nisi aliter à nobis expedire iudicetur.

Antequam Sponsi Matrimonium ineant; curent Parochi, vt sua peccata confiteantur; & sacra reficiantur Eucharistia, benè priùs interrogati, an alijs spoponderint, an votum Castitatis, aut Religionis emiserint, & an cognationem aliquam, vel affinitatem interesse suspicentur. Semper autem celebretur Matrimonium in Ecclesia Parochiali contrahentium matutino tempore, præuio Missæ sacrificio. Quod si celebrandum sit horis promeridianis, id fiat ante

Altare

Altare candelis accensis, assistente Sacerdote superpelliceo, & Stola indsto, vel etiam Pluuiali (si adsit). Si verò aliquando iustis de causis ex nostra dispensatione in priuatis domibus contrahatur, omni sollicitudine inuigilet Parochus, vt piè & sanctè tantum Sacramentum celebretur.

DE CONGREGATIONE CASVVM CONSCIENTIAE. Cap. XXII.

ANimarum salutis negotium adeò serium, ac tanti momenti est, vt qui in illud neglecto necessariæ scientiæ instrumento se se ingesserit, nefarium admodum scelus comittere, æternamque ruinam promereri meritò censeri debeat. Ne igitur tanto malo Diæcesis nostræ Parochi, Confessarij, & reliqui Sacerdotes curam animarum aliquandò habituri exponantur, ad congregationem casuum Conscientiæ à Prædecessoribus nostris tanta cùm prudentia, atque vtilitate constitutam firmiter sustinendam, & assiduis moralis Doctrinæ exercitamentis in dies promouendam, quantum in Domino possumus, èos adhortamur, & inflammamus.

Quoniam verò in Synodo Martinenga Sànctæ huius Congregationis exactissima ratio, & leges summa cùm diligentia, ordine, ac pænis debitis collectæ sunt, atque eximiè dispositæ, visum fuit eas hic ad verbum transcribere ad pleniorem earum obseruantiam; cui nos etiam toto animo, ac spiritu omnem nauaturos operam, nec laboribus vllis parcituros pollicemur. Reperitur autem in Synodo prædicta prout sequitur.

1 Eligat sibi nostra Congregatio (vt moris est omnium benè institutarum Congregationum) aliquem ex Sanctis Dei, cuius nomine nuncupetur, in Protectorem, ac Titularem, ne quodamodo acephala videatur.

2 Habeat ad minus tres Officiales, Præfectum scilicet, qui alius sit à Vicario foraneo, Cancellarium, & Nuncium.

3 Præfectum quolibet anno, ex Confratrum numero potissimum, secretis votis creari volumus, qui doctrina, ætate, & virtute huic se muneri parem exhibere valeat, cui tanquam capiti totius Congregationis in his, quæ ad eam pertinent, cæteri omnes

obe-

obediant, qui si prudenter & accuratè suo sit officio functus, nihil moramur, quo minus, assentientibus alijs, continuare per alium annum Magistratum possit, vltra tamen biennium prorogari tempus ei non permittimus. Cæterum post aliud biennium poterit iterum in Præfectum assumi, quod etiam locum habere in Cancellario statuimus.

4 Qui quidem Præfectus vbi primum declaratus fuerit, præsentem nobis, vel Vicario nostro Generali se sistat, vt in officio confirmetur, & benedictionem accipiat: quod si munus huiusmodi à se excusserit, duorum Ducatorum mulcta plectetur, soluenda termino dierum octo; quibus elapsis, & per eum non soluta pæna, illicò absque alia declaratione, incurrat in suspensionem à diuinis, á quà non priùs censeatur absolutus, quám re vera solutionem fecerit. Quod etiam ampliamus ad omnes pænas pecuniarias, siuè ob non interessentiam, siuè alio quouis modo exigendas.

5 Post electionem Præfecti Cancellarius deligatur, cuius officium erit scribere in libro nomina, & cognomina omnium Confratrum, propositiones Casuum Conscientiæ, decisionesque eorum; electiones officialium, defectus non interessentium congregationi & cætera omnia, quæ ad rectam ipsius Congregationis gubernationem spectabunt.

Exiget quoque, & conseruabit pecunias, quæ à fratrum contumacijs congestæ erunt, quæ quidem pecuniæ non nisi in necessarijs congregationis vsibus conuertantur, qua in re singulorum sententiæ erunt explorandæ, vt quod maior pars Confratrum faciendum putauerit, fiat. Priuatis autem cuiusque commodis nullatenus cedant. Ipse verò, antequam Magistratu, abeat pecuniam collectam cum codice dati, & accepti, alijsque ad congregationem spectantibus libris, atque scripturis, consignet suo superiori.

6 Tertio loco creatur Nuncius, qui sit vel Clericus in sacris, vel in minoribus constitutus, cuius opera vtatur Præfectus, ad intimandas Congregationes, vel ad aliud quodcumque negotium dictæ Congregationi necessarium, aut opportunum.

7 Cæterum vt confusio omninò tollatur, & commodiùs congregatio conuocari queat, retenta diuisione congregationum iam

facta

facta in Turcellanam, Burianam, & Murianam, mandamus, vt quælibet eorum singulis mensibus coaduneiur prima die Lunæ non impedita, si autem impedita fuerit aliquo festo de præceptp, transferatur in diem sequentem non impeditam, ab his tamen rationibus supersederi volumus à Dominica Passionis vsque ad octauam Paschatis, ne Sacerdotes à ministrandis Penitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis distrahantur.

8 Ad Turcellanam congregationem teneantur conuenire de manè ad Ecclesiam Cathedralem omnes dignitates, Canonici; sub Canonici, & Clerici in sacris eidem Ecclesiæ inseruientes.

9 Ad illam Buriani se conferat Plebanus Sancti Martini de dicto oppido, nec non Plebani Sancti Petri, & Sancti Angeli de Maiurbio cùm omnibus Capellanis, etiam Monialium, & Clericis sacris initiatis vtriusque loci.

Curati verò Insularium adiacentium compareant saltèm duabus vicibus quolibet anno, quod illis indulgemus ob locorum distantiam, cimbarim penuriam, & ob alias rationabiles causas. Locus verò reductionis ad discutiendos casus propositos de manè erit Ecclesia Parochialis Sancti Martini de Buriano prędicto.

10 In terra autem Muriani congregabuntur Plebani eiusdem loci, Curati, Titulati, Clerici in sacris, atque omnes Confessores Monialium residentes in dicto oppido Muriani, pro supradicta diuisione Casuum loco, die, & hora, qui á nobis, vel de assensu nostro, ab ipsa Congregatione designati fuerint.

11 Sacerdotes, & Clerici in Sacris, cùm ad huiusmodi conuentus accedendum erit, veniant vestibus talaribus, & Biretto Clericali decenter instructi, & tonsuram conspicuam in vertice habeant: hæcque sufficient, si conuentus habendum erit in Sacristia, vel in Palatio nostræ Residentiæ, sin autem in Ecclesia in qua celebranda sit Missa solemnis, vel facienda processio de more, deferant verùm etiam superpelliceum.

12 Vbi in vnum fratres fuerint congregati, ante propositionem Casuum genuflexi numen Spiritus Sancti implorent, deindè modestè sedeant, atque in sedendo, sicuti in alijs actibus, præfectus cunctos præcedat, eique proxime Vicarius foraneus adhæreat,

hæreat, qui à solo Episcopo, vel ab eius Vicario Generali eligendus erit, nisi fortè sit iam electus, & is in absentia Præfecti vices eius geret, cæteri verò in suo se quisque loco, & ordine sistant.

13 Quibus ità sedentibus, Præfectus extrahet ex Vrna tria nomina dictorum Confratrum ex omnibus illis, quæ prius in ipsa Vrna reposita fuerunt.

Postea legentur duo Casus in præterita congregatione propositi, quos illi tres fratres discutient, qui de vasculo extracti fuerint, prætermissis quæstionibus inutilibus, semotis garrulitatibus, atque diffidijs, quibus omninò expeditis Præfectus, vel alius, cui ille à principio tale onus decidendi iniunxerit, decidet, eiusque decisioni, pro tunc, acquiescendum erit.

14 Vt autem singulis congregationibus omnes fratres intersint, statuimus pro qualibet vice non interessentibus mulctam duarum librarum currentium Venetarum soluendam irremissibiliter eodem termino, & sub eadem censura, qua suprá, nisi forsitan eos excuset, aut infirma valetudo, aut aliquod aliud impedimentum, quod curam animarum attingat. Præfectus verò, & Cancellarius omnino intersint sub pœna librarum quatuor, toties quoties defuerint, nisi admodum grauiter reperiantur distenti. Quæ tamen excusatio eadem die congregationi erit trasmittenda, vt examinari possit, an sit legitima.

15 Postremò in fine cuiusque Congregationis detur vnicuique ex Fratribus à Cancellario schedula, in qua Mensis, Dies, & Locus congregationis, & casus in ea resoluendi, contineantur, tum, vt maturiùs omnes opinionem suam ratione, & auctoritate probati auctoris munitam in medium afferre possint, tùm vt nullus excusationem prætendere valeat.

Recitatis hactenus de Congregatione Casuum Conscientiæ Synodi Martinengæ legibus, ac decretis, illud vnum addimus, & præsenti Constitutione præcipimus, vt schedulæ casuum resoluendorum, Congregationis Fratribus á Cancellario distribui solitæ, ad Nos quoque (si Congregationi alicui, ob locorum distantiam, vel aliquod aliud impedimentum adesse non poterimus) omninò mittantur.

DE

DE ALTARIBVS, ET SACRIS EORVM IMAGINIBVS. Caput XXIII.

NVlla in posterùm finè nostro consensu de nouo erigantur Altaria, nihilque profanum, inhonestum, & quod veritati scripturarum, traditionibus, aut historijs Ecclesiæ contrarium sit, in eorumdem Icone, seú Palla pingatur, aut sculpatur. Quod si iam pictæ Imagines, & simulacra sanctitati. ac dignitati Religionis nostræ minimè respondeant, curent Parochi, vt omninò deleantur, vel alia ratione emendentur.

Altaria lignea non sint, sed vel lapidea, vel ad minimum lateritia sub pæna Interdicti. Eorum Mensa item lapidea sit, & ab Episcopo consecrata. Quod si huiusmodi Mensa sacra non fuerit, sed in ea Altare portatile adhibeatur, marmoreum hoc sit, decem vncijs vndequaque dimensum; totumque tela cerata contectum; & à nobis benedictum.

Construantur autem Altaria ità vt nulla ex parte foramen, aut fenestella relinquatur, vbi aliquid recondi possit. Eorum mensura erit, quæ in Prædecessoris nostri Synodo reformata, ac præscripta fuit; videlicet altitudinis à scabello ligneo, seú Bradella pedum duorum, & dimidij. Longitudinis quinque pedum, & dimidij, nisi fortè loci situs ampliorem formam permitteret. Latitudo tres pedes occupet. Ad Altare maius tribus gradibus ascendatur; at vbi habita ratione spatij plures esse possunt, quinque exstruantur. Minoribus verò Altaribus ij gradus præter Bradellam statuantur, qui loco accommodari queant.

Singula Altaria hæc omninò habeant. Iconem, seù Pallam iuxtá Altaris titulum congruè ornatam, & à nobis benedictam: Crucem non ligneam, sed ex metallo; Sex candelabra eiusdem Materiæ, si Altare maius sit; si ex minoribus, duo tantum; at in Festis eorum tituli plures. Tabellam cúm Secretis antè oculos Celebrantis, vulgò sacrum Conuiuium, cui à lateribus aliæ duæ addi solent; vulgò, in Principio, & Lauabo, omnes cornicibus circumseptæ. Tobaleas tres lineas, & albas absque vllo alio colore; quarum duæ semper diuisæ totam Mensam contegant, superior longior ab vtroque cornu planum pertingat. Pallium colore tempo-

ri congruens (nisi fortè necessitas coegerit idem semper adhiberi ex pellibus auratis contextum) nullis cornicibus clausum; sed vel ipsis Tobalearum lemniscis, vel fasciolis acu distinctis perornatum. Septum columnis lapideis substructum, vulgo, Balaustra, vt Laicis, & belluis aditus intercludatur, ab altare distans quantum Clerico ministranti opus fuerit. Telam stragulam viridem, vel alterius coloris ad arcendas sordes è Mensa, quæ tamen tempore celebrationis amoueatur Tintinnabulum, vel ad Altare appensum; vel è Sacristia delatum. Denique puluinar, quo Missale sustineatur.

Sacra Congregatio Concilij interdici iubet Altaria, sub quorum Bradellis cadauera sepulta sunt. Id ipsum nos quoque executioni mandari volumus, donec illic tumulata corpora aliò transferantur.

DE SEPVLTVRIS, CAEMETERIIS, *Et de Cadaueribus sepeliendis. Caput XXIV.*

NE religiosa Mortuorum sepultura Ecclesiarum decori quidquam officiat, sepulchra omninò separentur ab Altaribus; & quæ ità constructa sunt, operiantur marmoreo tegumento cunctis lateribus tam aptè cohærenti, vt nullus indè fætor exhalet.

Non permittatur á Parochis sinè nostra licentia in scriptis pauimentum Ecclesiæ excauari ad tumulanda cadauera. Et si hoc fieri aliquandò concedemus, reconcinnetur solum, itá vt nullum appareat sepulturæ vestigium. In superiori monumentorum parte nulla Crux, aut Imago sacra ponatur, ne transeuntium pedibus conculcetur, eorumque inscriptiones ab eo, cui id muneris commiserimus, priús videantur, & approbentur.

Cæmeteria Templis adiecta ex omni parte vallet murus benè dealbatus, & sacra aliqua Pictura venerabilis. Eorum fores continuò obserentur; & arbores cuiuscumque generis radicitùs inde extirpentur. Erigatur in ijs Crux ex metallo, aut marmore, alioue lapide, indice Loci Sacri; & ad preces transeuntes alliciente.

In associandis funeribus aduertant Parochi, & Sacerdotes nostri,

ſtri, ne ſepulturam mortuis debitam pretio vendant, ſed ea eleemoſina ſint contenti, quàm ex antiquis Conſtitutionibus, & propria Conſcientia iuſtam eſſe cognouerint. In ea autem exigenda contentiones vitent, ne opus Miſericordiæ venale facientes apud Populos malè audiant.

Defunctorum anniuerſaria ſtatis diebus fiant, nunquam tamen in feſtis duplicibus. Significentur publicis Campanis; & qui ijs adeſſe tenentur, opportunè admoneantur. Cæterùm qualibet die detur ſignum Orationis pro mortuis iuxtá Prædeceſſoris noſtri Decretum 8. Iunij 1647.

DE SACRISTIA.
Caput XXV.

PRopè maiorem Capellam cuiuſcumque Eccleſiæ ad Orientem, & Meridiem verſús eſſe ſolet Sacriſtia, ſeù locus ſacræ ſupellectili reponendæ deſtinatus. In ea feneſtræ ad minus duæ, cratibus ferreis obſeptæ, vitris inſtructæ, rete ramni múnitæ, additis tabulis ad omnes arcendas iniurias. Pauimentum, ne Sacerdotum, & Altarium ornamenta loci humiditate vitientur, eleuetur ab humo, ſi non fornicato, ſaltem tabulato opere. Oſtium ſolidis ianuis, peſſulo, & claue occludatur. Armaria duo ad minús; in quorum altero Sacræ veſtes recondantur, capſuliſque ductilibus ita diſtinguatur, vt pro colorum varietate facilè expandi poſſint. Super eo armariola, & ſubtus loculi, vbi Calices, Patenæ, Corporalia, & alia id genus ad diuinum Cultum neceſſaria diſponantur. Tàm Armarium, quám Armariolum externis valuis, ſeris, & clauibus diſtinctis claudatur. Alterum Armarium, ſtructura primo reſpondens, cooperiatur mappa munda, & loco Altaris inſeruiat, ad quod Sacerdotes ſacris Paramentis induantur. In ſuperiori eius parte frontali appendatur Sacra Imago, & Tabula cúm Orationibus ad ſingulas ſacras veſtes recitari conſuetis, & demùm chartula, in qua Miſſarum, & Anniuerſariorum Index legatur.

In aliquo Sacriſtiæ angulo Oratorium, ſeù ligneum ſcabellum collocetur, Chriſti patientis Imagine, & tabula Orationum dicendarum á Sacerdotibus antè, & poſt Miſſam ornatum. Ablutorium

rium etiam è solido lapide cõfectum lauandis manibus vsui sit, cùm linteo mundo, & candido.

In omni Ecclesiarum nostrarum Sacristia quinque ad minus Planetæ sint sericæ cum suis Stolis, & Manipulis, coloris nimirum Albi, Rubei, Viridis, Violacei, & Nigri, cúm suis Pallijs, Velaminibus, Bursis, & Pluuialibus (si fieri possit) prædictæ colorum varietati adaptatis. Præter hæc adsit alia Planeta prænobilis, cùm suis Dalmaticis, Pluuiali, & Pallio in vsum dierum solemniorum coloris Sancto Ecclesiæ Tutelari congruentis. Albæ, Amictus, Cingula, Corporalia, Purificatoria, Tabellæ pro Altaribus, & lintea ad manus abstergendas sint in eo numero, qui prouentibus Ecclesiarum conueniant; eaque lauentur sæpius, vt continua seruetur in Sacris Indumentis mundities.

Teneat vnaquæque Sacristia ad minus duos Calices cúm suis Patenis Argenteis, interiori parte inauratis. Vrceolorum tria, vel quatuor paria cúm suis Peluisculis Chrystallinis; Thurribulum cum nauicula, & cocleari argenteo. Vasculum gestatorium aquæ benedictæ, & aspergillum. Capsulas serico interiori partes vestitas ad Hostias recondendas; Cruces, Candelabra, Ceroferaria ad minus duo pro Altari maiori; & pro minoribus singulis singula. Instrumentum ferreum ad hostias rotundãdas. Missalia cúm suis signaculis duo ab Vrbano recognita, sub pæna Suspensionis vetito vsu cuiuscumque alterius; Gradualia, Ritualia, Breuiaria, Libros cantu Firmo Diuina officia reddentes, vltimæ impressionis sub eadem pæna. Quæ omnia in Ecclesijs Collegiatis abundantiús reperiri mandamus.

Quod si in aliqua Ecclesia Parochiali, aut Collegiata Capella fuerit ex suæ Dotis prouentibus instructa, eam volumus à talium reddituum Administratore de necessaria supellectili prouideri; nostrumque hoc Decretum extendimus etiam ad quamcumque simplicem Ecclesiam, seù Oratorium, in quo Missæ de nostra licentia celebrantur.

Catalogum rerum omnium Ecclesiæ mobilium fieri mandamus, & custodiri; prohibentes insuper Laicis accomodari ad profanos vsus quidquid diuino Cultui destinatum est, vt Peristromenta, Tapetia, Vasa argentea, & id genus similia.

DE

DE REGVLARIBVS.
Caput XXVI.

NOn parum auxilij Epiſcopis afferunt Regulares in Vinea Domini excolenda; dùm verbo, exemplo, & conſilio ad veram viuendi formam populos trahunt, eorumque ædificationi ſedulam operam præſtant. Hortamur igitur eos, quos diuina Prouidentia Cooperatores, & Adiutores in Animarum ſalutem contulit, vt quidquid ad ipſorum ſtatum pertinens in his noſtris Synodalibus Conſtitutionibus collectum eſt, prompto, ac libenti animo exequantur.

Confeſſiones igitur Sacramentales etiam in proprijs Eccleſijs nunquam excipient, niſi facultatem à nobis impetrauerint, quam præuio examine ſemper obtinebunt. Concionari in proprijs Eccleſijs niſi petita priùs à nobis benedictione non poterunt, & in alienis, non niſi cùm facultate in ſcriptis obtenta, exhibitiſque Superiorum ſuorum teſtimonialibus.

In Eccleſijs Monialium huius Diœceſis Miſſam celebrandi facultatem noſtram in ſcriptis obtinere teneantur, quam in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus Abbatiſſis, & Superioriſſis Monaſteriorum, & ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis illicò incurrenda earum Capellanis præcipimus, vt accuratè videant, & examinent, priuſquam Sacerdotes Regulares ad Miſſæ celebrationem admittant. Hæc autem licentia per ſingulos menſes renouanda erit, alioquin intelligatur ſuſpenſa.

Nullus Regularium in proprijs conuentibus lectionem cuiuſcumque profeſſionis, ſiuè Artium Liberalium, habere præſumat, niſi prius in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri Generalis Fidei profeſſionem emiſerit iuxtà formam Apoſtolicarum Conſtitutionum. Lectionem verò Sacræ Scripturæ, Concilij Tridentini præcepto in eorum Conuentibus inſtituendam, nunquam intermittant; attenta maximè in Diœceſi noſtra tam eximij operis neceſſitate, in qua temporum calamitas, & Redditùum tenuitas inſtitui non patitur præbendam Theologalem, ad tàm vtile miniſterium exercendum.

Ad caſus etiam Conſcientiæ noſtro Clero publicè prælegendos


ob prædictam necessitatem aliquem ex PP. Regularibus ea, qua poterit, honorificentiori forma assumemus, quem nostrum Patentibus litteris Theologum deputabimus; omnesque alias grati animi significationes ab eo desiderari non patiemur. Eius autem lectiones, quæ fient tempore, & loco á nobis constituendis, omnes Clerici, Sacerdotes, & Confessarij, etiam Sanctimonialium (nisi aliàs de legitimo impedimento constiterit) audire, & addiscere teneantur, sub pænis priuationis omnium licentiarum celebrandi, & officiandi in Ecclesijs Sanctimonialium, ascendendi ad sacros ordines, alijsque arbitrarijs respectiuè.

DE MVSICIS.

Caput XVII.

CAntores, qui ad concinnenda officia in hac nostra Diœcesi inuitari consueuerunt, vt maiore cùm reuerentia, & grauitate locis sacris congrua id præstent, non nisi superpelliceo induti, ac modestissimi admittantur; sub pæna arbitrio nostro imponenda Ecclesiarum nostrarum Parochis, & Cantoribus priuationis omnis licentiæ canendi in hac nostra Diæcesi juxtá decretum Prædecessoris nostri 15. Iulij 1664.

In Ecclesijs nostrarum Monialium nunquam canent, nisi cùm nostra licentia in scriptis; & in maioribus earumdem solemnitatibus nulla fiat Musicorum inuitatio, nisi expensis solius Monasterij; non alicuius particularis Monialis; cuius nostri Decreti obseruantiam Confessarijs, & Capellanis earumdem strictissimè committimus.



DE MONIALIBVS.
Caput XXVIII.

POstremus Synodalium nostrarum Constitutionum labor ad vos pertinet, Virgines Deo Sacræ, & Iesu Christi ornatissimæ sponsæ: Ad quarum perfectum regimen illud in primis decernimus, vt Constitutiones Grimanæ, tanta cùm peritia prudentia, ac sanctitate efformatæ, atque á Prædecessoribus nostris, & auctoritate nostra ordinaria confirmatæ, & approbatæ, in omnibus nostræ Diœcesis Monasterijs inuiolabiliter obseruentur. Qua in re Episcopalis nostræ sollicitudinis, & vigilantiæ erit omni penitus rigore abusus tollere, & transgressiones emendare. Abbatissarum verò & Confessariorum pro tempore conscientias strictè oneramus, ne vllam dictarum Constitutionum infringi, aut in desuetudinem abire patiantur, ante Tribunal supremi Iudicis de propria in re tanti momenti desidia, & conniuentia rationem reddituri.

Cum verò prædictæ Constitutiones Grimanæ, quidquid ad religiosæ vitæ institutum attinet, exactè, & sapientissimè complectantur; illud nobis duntaxat videtur relinqui, vt aliquot particularia Decreta, quæ post Monasteriorum visitationem ipso statim regiminis initio habitam de nouo condere visũ est, & modò, aspirante Numine, mens est publicare, materno idiomate ad clariorem vestram intelligentiam subnectamus. Sunt autem illa tenoris sequentis, videlicet.

DECRETI

Fatti da Noi doppo la visita generale de' nostri Monasterij.

GIACOMO VIANOLI

Per gratia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Vescouo di Torcello.

L'Importantissimo Officio Pastorale dalla Diuina Misericordia, qual Croce di merito imposto sù le nostre debolissime spalle, in queste primiere applicationi della nostra ardente sollecitudine verso il Diuino honore, e publico bene dell'anime, non apparisce più trauaglioso di quando riuolge tutta la nostra attentione à voi Spose dilettissime di Giesù Christo: Imperoche essendo voi la sua più cara portione, e delitie trà Figliuoli de gl'huomini; & in qualità di vigna eletta, e fruttifera, restando strettamente raccommandata alla più diligente coltura del nostro zelo, ci trouiamo in obligo di non mai desistere dalle maggiori fatiche, & industrie di corpo, e di spirito, che possano rendere ogn'vna di voi à suoi Diuini occhi *Non habentem maculam, neque rugam;* E nell'estremo rendimento de' conti libera la nostra conscienza da quell'infelice rimorso: *Vineam meam non custodiui*. Che però spedite le prime cure del Ministerio Episcopale, habbiamo conosciuto esser nostro principal debito di porre subito mano alla Visita Generale della nostra Diocese, e particolarmente de' Monasterij di Monache, doue più furiosamente il Demonio; *Circuit quærens quem deuoret*: la quale con la Diuina assistenza, ed aiuto finalmente terminata, con somma nostra consolatione ci fà sentire dalla bocca, e dal cuore d'ogn'vna di voi quel gratissimo auiso: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Hora, perche nella prenominata visita di tante vigne claustrali è piacciuto alla Diuina Bontà, e Prouidenza accrescersi l'interno contento, di non trouare cioè

in alcuna di esse verificato quel del Salmo; *Exterminauit eam Aper de sylua*; má solo quello del Vangèlo; *Inimicus homo superseminauit zizania*: mercè che non affatto distrutta la loro fertilità da incorrigibili dissolutezze, apparisce solo alla buona semente delle passate direttioni tramischiato il loglio di non poche inosseruanze, le quali in processo di tempo potrebbero aprire l'ingresso à quelle Volpette; *quæ demoliuntur vineas*. Perciò ardendo il nostro spirito di viua brama d'applicarui opportuni prouedimenti, e ridurle tutte à quella Religiosa Vbertà d'opere pure, e perfette, che può far auuerrare in esse; *Vinea meri cantabit Domino*; per particolare impulso dello Spirito Santo, siamo deuenuti alla dichiaratione, e promulgatione de' seguenti ordini.

1. Che ne' giorni, in cui nelle Chiese delle Monache si celebrano le Feste loro principali, e solenni, non si ammetta á parlare chi si sia alle porte del Monasterio, nè alle finestre di Chiesa, nè in publici Parlatorij; li quali in detti giorni non si apriranno.

2. Non si apra la porta del Monasterio la mattina prima del leuar del Sole coll'assistenza d'vna Portinara, e la sera si chiuderà infallibilmente al solito segno dell'Aue Maria.

3. Si leuino le porte à Parlatorij, che non sonò sopra la strada; permettendosi solo il porre in quel luogo, ò tela, ò stuora conforme alla stagione.

4. Che á Parlatorij, ò porte del Monasterio non s'accosti mai Monaca alcuna senza espressa licenza della R. M. Abbadessa, e senza esser chiamata dalle Madri Portinare, nel luogo solito delle quali non si fermeranno mai le Monache á lauorare, ò discorrere lungamente, anco sotto pretesto di tener compagnia, ò esser custodite dalle parenti, che fossero in quell'obbedienza: e con non minore puntualità venga osseruato l' istesso ordine dalle Figlie à spese.

5. Che niuna Monaca possa andar à finestra, se non da Parenti ne' gradi permessi; & in occorrenza necessaria di douer parlare con qualche non Parente, ò Parente lontano, non possa farlo, se non con nostra licenza in scritto, ò del nostro Vicario Generale, e coll' accompagnamento dell' Ascoltatrici da deputarsi in ogni Monasterio da noi, ò di nostra commissione dalla R. M. Abbadessa. Alla quale perciò prohibiamo strettamente il lasciare andare

le sue Monache dalle predette persone, senza ben conoscer le dette, e le loro licenze; & alle Madri Portinare, e Rotare vietiamo con la medesima strettezza il chiamarle, senza hauerne prima hauuto l'ordine espresso dalla detta R. M. Abbadessa.

6. Che non possa Monaca alcuna riceuere lettere, ne scriuerne á chi si sia, se non à Parenti ne' gradi permessi: A gli altri, con quali non può senza nostra licenza parlare, le sia vietato parimente lo scriuere. Quanto à Regolari, essendo cosa indubitata, che il parlare con loro senza le debite facoltà è colpa mortale, non potrà la Religiosa stimare leggiero errore, e di poco aggrauio per la conscienza il trattare con essi per via di lettere, che sono vn parlar trá lontani: perciò strettissimamente glie lo prohibiamo.

7. Che nel Confessionario non s'introduca persona alcuna, fuor che il Confessore, à parlare con le Monache per qualsiuoglia occasione; e doue si troua Parlatorio chiuso per li Fattori, non si conceda mai á Monache particolari per riceuer visite, ò parlare etiandio con Parenti.

8. Non si permetta il poter mangiare in qual si sia occorrenza, ò stagione ne' Parlatorij di Monache, ne meno con li Parenti, senza nostra licenza, ò del nostro Vicario Generale.

9. Che niuna persona Ecclesiastica possa essercitar Fattorie di sorte alcuna, ne' Monasterij alla nostra Giurisdittione soggetti, sotto pena di sospensione á Diuinis ipso facto incurrenda, alla quale soggiacerà pure, chi, sotto pretesto di facende per Monache particolari, frequenterà á visitarle; & i Confessori stessi, che praticheranno alli Monasterij, oue han terminato di confessare.

10. Che delle Figliuole à spese di qualsisia età non possa mai esser Maestra Monaca alcuna minore d'anni quaranta, ne mai s'introduchino, ne eschino di Clausura senza nostra licenza in scritto, ò del nostro Vicario Generale. E perche in alcuni Monasterij con nostro gran sentimento è cresciuto in eccesso il lusso de gli habiti delle medesime; e la troppo libera, e più che secolaresca maniera di vestire, e d'adornarsi riesce di mal'essempio alle Monache stesse, & á tutti d'ammiratione; Commandiamo strettamente, che in auuenire se ne prattichi vna conueniente moderatione in tutte; mà in quelle, che passano gli anni dodeci, si prohibisce affatto ogni cosa contraria alle Constitutioni, e s'incarica la

con-

conscienza di chi le gouerna, che vadano sempre con le carni coperte, e non restino mai sole nei Parlatorij.

11. Vltimamente non perdendo Noi di vista le Sorelle, ò Conuerse, che con seruigi corporali cooperano esse pure con frutto alla conseruatione, e raccolti spirituali delle Vigne predette, á fin che in ordine alle medesime ancora il tutto segua regolatamente, e col douuto buon esempio, commandiamo strettamente alle RR. Madri Abbadesse, ò altre Superiore, che non le lascino mai vscir di Clausura, se non per bisogni di Chiesa, in occasione di visite de' Parenti, ò per necessaria ricreatione; quale loro benignamente concediamo vna volta l'anno; con che però sempre vadano due per volta, cioè vna Vecchia, & vna Giouine, non mai in maggior numero, nè due Sorelle, ò due Confidenti insieme, nè più lontane dell'Isole adiacenti á Venetia, per schiuare le osseruationi curiose de' secolari, & acciò commodamente, e senza qualche improuiso pericolo, possano esser di ritorno al Monastero la stessa sera.

E tutte queste ordinationi, alle quali n'anderanno succedendo dell'altre, conforme piacerà allo Spirito Santo d'illuminarci, come viuamente lo supplichiamo, per vostra buona direttione, Figlie dilettissime, è così risoluta, e ferma la nostra intentione, che venghino da tutte voi inuiolabilmente osseruate à maggior gloria di Dio, e vostro spirituale miglioramento, che in ordine alla conscienza si dichiariamo di dar loro tutto il più stretto vigore, come appartenenti all'acquisto della perfettione, e sicurezza della salute. E di più à chiunque le trasgredirá aggiongiamo la priuatione de' Parlatorij, della voce attiua, e passiua ne' Capitoli; e (quel ch'è il sommo di tutti i mali) la lontananza da' Santissimi Sacramenti per quel tempo, che parerá à noi; & altre pene ad arbitrio nostro. Perche poi ad ogn'vna di voi restino fisse in memoria, ordiniamo, che si leggano vna volta al Mese in publica Mensa, e per la perpetua loro osseruanza se ne faccia registro nella nostra Episcopale Cancellaria.

Dat. in Murano nel Palazzo della Nostra Residenza questo dì 7. Agosto 1675.

(G. Vescouo di Torcello.

Altri Nostri Decreti fondati nelle Constitutioni Grimane.

1. CHe inherendo alla Constitutione Grimana al capit. 56. in tutti i Monasterij alla nostra Giurisdittione soggetti communemente si prattichi l'oratione mentale, all'hore respettiuamente stabilite, ò da stabilirsi in ogn'vno di essi; e da quelle, che al detto tempo fossero legitimamente impedite, si faccia particolarmente in altre hore, auuertendo à tutte il pericolo d'incorrere in colpa graue, trascurando scientemente vn mezzo così principale, e necessario alla loro perfettione, e salute.

2. Che ogni qual volta in Refettorio si legge la Regola del proprio Instituto (e doue fosse il pessimo abuso di non leggerla ordiniamo col presente nostro Decreto, che si legga assolutamente ogni Venerdì dell'Anno) si premetta il breue cap. 59. delle Constitutioni Grimane, spettante all'osseruanza della medesima, incaricando strettamente alle conscienze d'ogn'vna il contenuto in detto Capitolo.

3. Che inherendo alla Constitutione Grimana al cap. 64. nel fine; doue si commanda alle Monache, che in giorno di Communione si astengano dalle Finestre, e Parlatorij, per donarlo tutto allo spirito, e pie operationi; ordiniamo Noi al presente, che in detti giorni, nel tempo, che si farà attualmente la Communione, si chiudano i Parlatorij sudetti, in riuerenza d'vn tanto Sacramento, e in osseruanza della Santa Communità.

4. Che nel portare la Santissima Communione all'Inferme si osserui esattamente il sudetto cap. 64. delle Constiturioni Grimane intorno al modo di riceuere il Santissimo Sacramento alla Porta del Monasterio, ed accompagnarlo; osseruando le parole di detto Capitolo (precedendo auanti di quello) sopra le quali ordiniamo, che tutte le Monache in così santa, e venerabile fontione non rimangano mai dietro il Sacerdote; mà sempre caminino auanti per ordine di Professione, precedendo le giouanni, e rimanendo appresso il Sacerdote le vecchie, e in vltimo luogo la

R.M.

R. M. Abbadessa, ò, essa legitimamente impedita, la Madre Vicaria.

5. Che per maggior osseruanza della sudetta Constitutione, e riuerenza del Santissimo Sacramento, concorrano al detto accompagnamento tutte le Monache, non impedite in facende necessarie nel medesimo punto, portando auanti per quel poco tempo, che starà in Casa il Santissimo, ogn'altro affare, ancorche spettante al seruitio di Dio; per honorar maggiormente il quale mentre personalmente ci visita, non può esser mai disdiceuole il differire per poco l'Oratione, il Choro, e la propria Obbedienza, come in occasioni molto meno importanti suol pratticarsi.

6. Che alla Constitutione Grimana al cap. 23. doue si prohibiscono le confabulationi in Chiesa, se non in caso che fossero occupati tutti i Parlatorij, s'aggionga, e s'osserui inuiolabilmente il presente nostro Ordine; che al Finestrino della Communione non si parli mai, come si fá ne Parlatorij sudetti; mà si tenga sempre serrato con chiaui, da custodirsi diligentemente da chi s'aspetta, e non si apra, se non nelle consuete fontioni.

7. Che similmente alla Constitutione Grimana al cap. 15. spettante alle Nouizze de'Monasterij, e loro Maestre, s'aggionga il nostro Decreto intorno al luogo particolare, e separato più che sia possibile dall'habitationi dell'altre Monache, chiamato communemente Nouitiato; doue habbino da trattenersi le dette Nouizze con le loro Maestre, finche arriui il tempo di professare; qual Nouitiato commandiamo, che in ogn'vno de nostri Monasterij attualmente si troui, e conserui; e per Maestra delle Nouizze sia sempre la Madre Vicaria pro tempore, ò altra Monaca prouetta, & habile; alla qual non manchi mai in alcun Monasterio la sua Vicemaestra da deputarsi da Noi, e che habbia sempre da stare, & accompagnare le dette Nouizze, occorrendo legitimo impedimento alla Maestra.

8. Che inherendo alla Constitutione Grimana al cap. 22. non si aprano le porte del Monasterio, e Parlatorij la mattina se non à chiaro giorno; e la sera si chiudano assolutamente all'Aue Maria de viui l'estate, & à quella de'morti l'inuerno: aggiongendo Noi rigorosa prohibitione, che non s'introducano mai, ne per la Porta, ne in altro modo Figliuoletti di qualsisia conditione in Mona-

sterio;

rò mortale, oltre il dichiarare nulla ogni affitanza fatta contro il predetto ordine; come espressamente in dette Constitutioni Grimane stà registrato; per intiera osseruanza delle quali (trattandosi massime di peccato mortale, e nullità) commandiamo strettamente alle RR. Madri Abbadesse, ò altre Superiore, che tutte le affittanze fatte fin'hora con simile contrauentione siano immediatamente riuocate, e concesse ad altri.

13. Che quanto à Capellani ordinarij de'Monasterij alla nostra giurisdittione soggetti s'osserui inuiolabilmente la Constitutione Grimana al cap. 75. alla quale aggiongiamo noi strettissimo ordine á qualsisia M. Abbadessa, ò altra Superiora de' Monasterij predetti; ch'in auuenire non ne eleghino alcuno minore d'anni 35. e ch'habbia almeno 10. anni di Sacerdotio; e detta elettione si faccia sempre con nostra participatione, e licenza particolare.

14. Che quanto alle Sorelle Conuerse de'nostri Monasterij oltre quello, che s'è da noi decretato ne sopradetti ordini, si osserui ancora rigorosamente la Constitutione Grimana nel cap. 12. e ciò non solamente in ordine all'Andeliere, che doueranno sempre essere deputate da noi dell'età, prudenza, e maturità necessaria; mà anco in ordine all'altre, che sogliono andare, ò condurre à ricreatione le Figlie á spese da monacarsi; ò esser mandate dalla Superiora à complimentare con Parenti, ò in altre occorrenze di publiche Elettioni, due sole per volta, e delle qualità prescritte nelle predette Constitutioni, & Ordini.

15. Che le RR. Madri Abbadesse, ò altre Superiore de'nostri Monasterij non possano mai più mandare Sorelle, ò Conuerse di qual si sia etá, e conditione alle Ville, ò Possessioni proprie, ò d'altri, per assistere à vini, macine di grani, e loro condotte, ò altre simili facende, e sopraintendenze totalmente disdiceuoli á Religiose, e proprie de'loro Fattori; à quali in auuenire dourá la detta obligatione in ogni maniera ordinarsi, come inseparabile dal loro carico; e ciò tutto sotto pena di priuatione d'officio alle dette RR. Madri Abbadesse, e Superiore, & altre á nostro arbitrio; & alle Sorelle, ò Conuerse medesime d'essere immediatamente spogliate dell'habito Religioso, e licentiate dal Monasterio, contrauenendo al presente nostro Decreto.

16. Che á tutte le Sorelle, ò Conuerse de'nostri Monasterij sia stret-

strettamente incaricata l'osseruanza della Constitutione Grimana al c.12. nella quale si commanda loro, che pratticando per le case de' Secolari non riuelino i secreti, e cose del Monasterio sotto le pene iui stabilite. Il che s'intenda esteso vniuersalmente anco à tutte le Monache da Officio; alle quali prohibiamo il discorrere con chi si sia, ò ne' Parlatorij, ò in altri luoghi delle cose sudette, massime de' diffetti, e mancamenti, che fossero occorsi, eccettuati però Noi, in conformità della Constitutione Grimana al cap.20. sotto pena di priuatione di voce attiua e passiua, Parlatorij, e Sacramenti per tutto il tempo, che parerà à Noi. E tutti i presenti nostri Decreti vogliamo, e ordiniamo, che vna volta al mese si leggano in publica mensa per ogni loro maggiore osseruanza.

Præter has pro Sanctimonialibus Synodales nostras ordinationes, Prædecessorum etiam nostrorũ Decreta prò ijsdem (quæ nostris non aduersentur) omni meliori mòdo approbamus, confirmamus, & pro hic insertis haberi volumus.

DE FINE SYNODI, AC DECRETORVM *Obseruantia. Cap. XXIX.*

COgitantibus Nobis, quid ad perfectam primæ huius nouius nostræ Synodi celebrationem pro Diuini cultus augmento, animarum nobis commissarum salute, & recto Cleri, ac Sanctimonialium nostrarum regimine deesse vnquam videri possit, aliud nihil occurrit, nisi præmissorum omnium obseruantiam toto spiritu & contentionem curare. Quod vt fęliciùs assequamur, supra dicta omnia pro Turcellensi Diœcesi Decreta quam primùm imprimenda, & publicanda curabimus; & vbi publico edicto ad valuas Ecclesiæ nostræ Cathedralis, S. Martini Buriani, ac S. Donati Muriani affigendo, impressa iam esse denunciauerimus, omnes, & singulos ad eorum obseruantiam obligari, & arctari volumus, ac si personaliter singulis fuissent intimata. Qua propter Dignitatibus, Canonicis, Parochis, Confessarijs, cæterisque Beneficiatis, & in Sacris Ordinibus constitutis nostræ Diœcesis seriò præcipimus, vt intrà mensem ab huiusce Synodi impressione, eius exemplar sibi comparent, sub pæna à Prædecessoribus nostris constituta, quam hìc omni meliori modo innouatam, & im-

& impositam intelligimus. Mandantes etiam singulis Sanctimonialium nostrarum Monasterijs, vt tria ad minus eiusdem Synodi exemplaria impressa apud se habeant, vt Abbatissæ, Discretæ, & Sacristanæ edoceri valeant, quæ in illa sancita sunt, & diligenter obseruanda curent. Cæterùm omnium, & singulorum, quæ in tota hac Synodo decreuimus, approbauimus, & confirmauimus, declaratio, & interpretatio, nec non difficultatum circa ipsa decisio Nobis sint, & intelligantur reseruatæ.

Salua semper in omnibus Sedis Apostolicæ, & S. R. Ecclesiæ auctoritate, cuius arbitrio, censuræ, infallibilique Iudicio omnia acta, decretaque nostra maiore qua possumus humilitate, obedientia, ac reuerentia submittimus.

FINIS.

INDEX

Capitulorum Omnium quae in his Constitutionibus Synodalibus continentur.

De fidei Professione. Cap. I. pag. 16
De Haereticis. Cap. II. 17
De Blasphemia. Cap. III. 17
De Sanctorum Reliquijs. Cap. IV. 18
De Sacra scriptura, & eius interpretatione. Cap. V. 19
De lectione Sacrae scripturae. C. VI. 20
De Concionibus. Cap. VII. 20
De Doctrina Christiana. Cap. VIII. 21
De celebratione, & obseruatione festorum. Cap. IX. 22
De celebratione Missarum. Cap. X. 23
De reuerentia Templis debita, & caemeterijs. Cap. XI. 26
De vita, & honestate clericorum. Cap. XII. 28
De officio Parochi, seu Plebani. Cap. XIII. 30
De Sacramentis in genere. C. XIV. 32
De Sacramento Baptismi. Cap. XV. 32
De Sacramento Confirmationis. Cap. XVI. 34
De Sacramento Paenitentiae. C. XVII. 35
De Eucharistia. Cap. XVIII. 39
De Sacramento extremae Vnctionis. Cap. XIX. 42
De Sacramento Ordinis. Cap. XX. 43
De Sacramento Matrimonij. C. XXI. 45
De Congregatione casuum conscientiae. Cap. XXII. 47
De Altaribus, & Sacris eorum Imaginibus. Cap. XXIII. 51
De Sepulturis Caemeterij, & de Cadaueribus sepeliendis. Cap. XXIV. 52
De Sacristia. Cap. XXV. 53
De Regularibus. Cap. XXVI. 55
De Musicis. Cap. XXVII. 56
De Monialibus. Cap. XXVIII. 57
De fine Synodi, ac Decretorum Obseruatia. Cap. XXIX. 66

Pag.	Errata,	Correctio.
9	Celebrationum.	Celebrationem.
6	Synodale.	Synodales.
9	Fine.	Sine.
18	Saecularem.	Saecularem:
22	Ludios.	Ludos.
28	Pennis.	Paenis.
29	Ecclesiastiocrum.	Ecclesiasticorum.
34	Virum.	Visum.
37	Duraturum.	Duraturam.
39	Adornentur.	Adornetur.
46	Promeridianis.	Pomeridianis.
48	Absolutas.	Absolutus.
49	Rationibus.	Congregationibus.
54	Peristromenta.	Peristromata.
66	Contentiouem,	Contentione.